

2.

TIBERIUS CÆSAR.

Quem
DEO BENE JUVANTE
PRÆSIDE
VIRO

Amplissimo, Excellentissimo atque Clarissimo,
DN. JO. ANDREA BOSIO,
Histor. P. P. longè celeberrimo,
& h. t. Rectore Magnifico,
Fautore ac Præceptore suo summo honoris & ob-
servantia cultu atatem prosequendo,
in illustri Academia Jenensi

a. d. Augusti
publico Eruditorum colloquio offert
Johan Arend von der Lieth/
Eques è Ducatu Brem.
AUTOR.

Literis NISIANIS.
ANNO CHR. MDCC LXI.



C. B. D.

TIBERIUS CÆSAR.

§. I.



Multi quidem Historiarum lectione delectantur; sed non omnes unum eundemque scopum sibi præfixum habent. Quidam enim non alio fine earum lectioni se dedunt, quam ut otium fallant, *habeantve, quod in convivis & circulis narrent*: alii, ne ignorent, quæ à multis retrò seculis vel in patriâ sua vel alibi acciderunt: nonnulli, ut varios Gentium ritus, ac urbium & imperiorum origines, incrementa, translationes, decrementa, indagent. Sunt etiam, qui nihil aliud, quam locutiones proverbiales, sententias elegantiores, figurasque & artificia oratoria inde colligant; non attendentes, quid sub eo cortice boni solidique lateat. Alii denique res vitæ humanæ usibus aptas quidem persequuntur; sed obviis quibusdam judiciis ac digressionibus, subinde à melioris notæ Historicis narrationibus suis aut præmissis, aut insertis, aut annexis, contenti. Sed hi omnes præcipuum lectionis Historicæ finem negligunt; qui est, aut certè esse debet, ut ex accuratiori historiarum consideratione, singularumque circumstantiarum examine, interiora negotiorum civilium pernoscamus, quomodoque in iis prudenter versandum sit, addiscamus. Hæc industrio lectori demonstrabit v. g. fœdus cum potentiori, spe vindictæ aut cupidine initum, sæpe quidem exitio fuisse ineunti, aliquando tamen ex prudentia & cautione in salutem cessisse; cum barbaro nun-

Vossius Ant.
Hist. c. 5. p. 29.

A 2

quam



quam satis fidum; cum invalido nunc periculosum, nunc gloriosum, interdum & necessarium fuisse: Rerum summam uni status ministro committere, nimis tributis subditos onerare, semper periculosum fuisse, &c. Vid. Magnifici Dn. Praesidis Dissertatio de ratione legendi Historicos, civilis vitae scopo accommodata; & Ampliſſ. Bæcleri dissert. cui Titulum fecit Historia Scholæ Principum, c. 1. §. 14. Adde Degorei Whear Relectiones hyemales de ratione & methodo legendi utrasque historias, superiori anno Norimbergæ recusas.

§. II. Mihi circumspicienti argumentum aliquod historicum, in quo πολιτικῶς pertractando specimen profectuum Academicorum ederem, dignus præ multis aliis, in quo vires ingenii mei periclitarer, visus est TIBERIUS CLAUDIUS NERO, seu, ut, ex quo adoptione in familiam Augusti transit, appellatus est, TIBERIUS JULIUS CÆSAR, tertius Romanorum Imperator, Princeps, summi cujusdam viri iudicio, singularis ingenii fatique, & cujus tota vita non communibus exemplorum locis comprehendendi, sed proprio quodam observationis genere signari debet. Quo in Imperatore, quo plus video, eo video minus. Nihil enim per totam vitam majori conatu egit, quam ut alius videretur, alius esset, semper sui quam dissimillimus. Aversum se ab iis esse ostendebat, quæ maxime cupiebat, & eorum cupidum, quæ aversabatur: iram vehementer simulabat iis in rebus, unde levissimè commovebatur, & lenem ac facilem animum, quando vehementissimè indignabatur. Admiror in Eo virtutes egregias; detestor vitia insignia; utraque enim confuso quasi temperamento fuerunt in Eo illustrata.

Bæcler. diff. 3.
ad Suet. 14. 23.

Diolib. 57. pag.
602. edit. Ha.
nov. an. 1602.

§. III. Ne autem aliquid ad perspicuitatem & intelligendi commoditatem desiderari possit, octo faciemus Dissertationis nostræ partes. Ac primâ quidem de Cæsaris Augusti circa successores sibi destinandos curâ & consilio quædam præmittemus: alterâ de ortu, infantia ac pueritia Tiberii dicemus: Tertiâ, quomodo ad imperium pervenerit: Quartâ Characterem ingenii Ejus describemus: Quinta, quibus virtutibus & vitiis inclaruerit, videbimus: Sextâ, nonnullas illius artes & arcana politica, quibus regnum suum stabilivit; Septimâ verò
solæ.

foecissimos aliquot politicos ab Eo commissos recensimus: Octava denique fortunam & exitum ejus spectabimus. Quae omnia si non secundum argumenti sublimitatem ac expectationem omnium a me pertractata fuerint, succurret mihi illud Poetae:

— *in magnis & voluisse sat est.*

§. IV. C. Caes. Augustus, sagacissimus Imperator, bene praevidebat, Monarchiae suae novae, nondumque coalitae, minimè expedire, si successor esset in incerto; seque sine certi successoris designatione neque satis tutum a pravis, imperio tali rerum statu inhiantium, machinationibus; neque in imperio inter tot factionum, conjurationumque fluctus mansuram pacem. Anxio ergo animo certum sibi heredem ac successorem Imperii, eumque e domo & familia sua (rectenè an secus, vide disceptantem Baeclerum ad Tacit. 1. Ann. 3. annot. 1. cum quo omninò facimus;) quærebat. Quoniam verò procreatione ipsi deerant liberi masculi, adoptio in subsidium veniebat. Itaque Cajum & Lucium nepotes (M. Agrippa & Julia filia genitos) adoptavit domi per assem & libram. Deinde Cajo in Lycia, Lucio Massilia defunctis, quasi fortuna mirandae Principis providentiae obniteretur, (si tamen fortuna, ac non potius astus Liviae uxoris, Tiberium suum ad Imperium provehere conantis, nepotes Augusto eripuit) tertium è Juliã nepotem M. Agrippam Posthumum, sed brevi, ob ingenium scordalum (sic rectè apud Sueton. emendat Salmasius) ac ferox, abdicatum, & Surrentum (oppidum id Campaniae, è regione Capreae Insulae Tirreno mari imminens) sepositum; simulque nostrum Tiberium privignum suum (& quidem suasu ac hortatu Liviae, quae senem Augustum valdè sibi devinxerat; idque eo facilius, quoniam senes nimis faciles uxoriis persuasionibus aures praebere solent:) adoptavit in foro lege curiata, multum quidem cum domi, tum in senatu recusantem, Aelio Cato & Sentio Coss. V. Kal. Jul. post V. C. annis IOCCCLIV. adjectis his ipsis verbis, HOC REIP. CAUSA SE FACERE. Praeterea, quo domus sua pluribus munimentis insisteret, per eundem Tiberium, Germanicum, alterius privigni Drusi pridem defuncti filium (etsi Tiberio ipsi filius jam adultior

Tacit. 3. Ann. 63.

Clapm. de arc. rerump. l. 3. c. 10.

Suet. in Aug. c. 64, 65. Idem c. 65. & in

Tiber. c. 15. Dio l. 55. p. 556. Vallej. 2. 103. 104. Tacit. 1. Ann. 3.

Tac. 1. Ann. 3. 40.

Suet. Tib. c. 15. Dio l. 55. p. 557.

Tac. 4. Hist. 51.
2.

Curr. 1. 6. 9. 12.

V. Clapm. 3. Ar.
canor. 10. & Pi-
us Mutius con-
sider. 9 supra
Tacit.

Tac. 3. An. 96, 3.

erat, Drusus nomine) in regiam familiam cooptari curavit. Sci-
licet non legiones non classes aequae firmae Imperii munimenta esse,
quam numerum liberorum rebatur. Id quod Alexandro M. haud
fuit incognitum, dum in oratione sua exhortatoria ad milites
adversus Philotam ita queritur: *Orbitas quoque mea, quod sine
liberis sum, spernitur.*

§. V. Caterum etsi non male inter consilia domus & domi-
nationis, novaeque Monarchiae firmandae posuit Augustus,
plures per adoptionem sibi adsciscere: (sic enim pluribus muni-
mentis insit dominatio; neque temere quis audent subito
conspirare in eum ejusque domum, cui tot vindices in prom-
ptu sunt;) non unas tamen id consilium traxit difficultates, dum
de primo loco aemulatio primum Agrippam, mox Tiberium
offensorem reddidit. Vid. *Baehlerus comment. ad Ann. 1. Taciti
cap. xi. annot. 5.* Id vero plane secundum regulas status Mo-
narchici factum ab Augusto, quod mature successorem sibi de-
legit, Senatuique ac Populo Rom. ostentavit. Suadent enim
consensu quodam Prudentes, ut Principes ac Monarchae ad-
huc viventes certos successores sibi adsciscant, qui eorum late-
ribus adjuncti, paulatim succedant, & si quando fati ipsi con-
cesserint, eadem deinceps maiestate & potentiam coronentur.
Quo scilicet *pravae aliorum spes* (quod Tiberii adoptione Au-
gustum respexisse Tacitus ait) *cohibeantur.* Accedit, quod sic e-
vitetur interregnum, quod est vera regnorum phthisis. Atque
has ob causas hodie fieri solet, ut plerique reges Christiani se
vivi certos successores sibi designent, ac peculiari, quod hanc
successionis spem indicet, nomine insigniant. Quales sunt in
Imperio Romano-Germanico *Rex Romanorum*; in Gallia *Del-
phinus*, (sic dictus, quod Umberto Delphinatus Princeps Phi-
lippo Valesio ea conditione cesserit Principatu suo, ut regni
proximus heres diceretur *Delphinus*;) in Hispania & Lusitania
Infans; in Britannia *Walliae Princeps*, &c. Porro, si exemplis a-
gendum, quantum ad securitatem status faciat, certum nomi-
nare successorem, vel ex unico exemplo Monarchiae Alexandri
Magni apparet; qui Proceribus suis quarentibus, *quem imperii
faciat heredem*, animosius quam prudentius respondit, *Dignis-
simus*,

mum, seu, ut alii melius, *optimū* aut *fortissimū*. Vide *Justin. 12, 15, 8.*
 & ibi *Berneggerum. add. Freinshem. ad Curt. 10, 10, 5.* Qua voce vel-
 uti classicum inter amicos cecinisset, aut pomum Eridos immi-
 sisset, ita omnes in æmulationem consurrexerunt, ut infestissi-
 mis odiis, bellisque & inauditis parricidiorum sceleribus se
 mutuo prosequuti sint; adeo ut brevi vastissima Alexandri
 Monarchia dissolveretur, inque varia regna & principatus dis-
 filiret. Plura in hanc rem *Cloriss. Bæcler. in not. ad Taciti 1.*
Ann. 3. Scipio Ammiratus lib. 1. in Tacit. diss. 2. Freinshem. & Blan-
card. ad Curt. 8, 9, 12. Lipsius 2. pol. 3, 2. & 4, 12, 16. Desid. Cre-
scenius part. 2. Art. domin. c. 1. quædam & Reinking. in tr. de re-
gim. S. & E. l. 1. clas. 3. c. 14. §. 34. & 35. & Clapm. de Arcan. re-
rump. l. 3. c. 3. Qui postremus benè monet; duobus vel plu-
 ribus de Imperio contendentibus, tutius esse, nullum certum
 heredem nominare, ne turbis ac contentionibus de Principa-
 tu occasio præbeatur.

Forst. ad 1.
Auz. Tac. p. 12.

§. VI. Absoluto primo dissertationis nostræ membro, de-
 scendendum nobis erit ad *Nostri Ortum*: circa quem tria me-
 rentur observari: *Familia, patria, parentes.* FAMILIAM quod
 attinet, *utrumque* (h. e. paternum maternumque) *genus traxit*
ex patritiorum gente Claudia, sive spectemus familiarum ampli-
 tudinem, sive affinitatem nexus, sive factorum in rep. titulos,
 (*Dictaturis enim quinque, censuris septem, triumphis vero septem,*
ovationibus duabus clara fuit) longè celeberrima. PATRIAM
 nactus est *Reginam urbium Romam*, ubi *natus in Palatio XVI.*
Kalend. Decembr. M. Emilio Lepido iterum, L. Munatio Planco
Coss. post bellum Philippense; adeoque civis Romanus fuit. Quæ
 patriæ, quemadmodum & altera familiæ prærogativa multum
 adjumenti ad majora adspirantibus præbere solet. Vid. *Ma-*
gnif. Dn. Presidis diss. ad Agricol. Taciti c. 4. §. 9. & 10. PATER il-
 li *Tiberius Claudius Nero* fuit, Cæsaris bello Alexandrino Quæ-
 stor, & Classi præpositus; dein, quod plurimum eo bello ad vi-
 ctoriam contulisset, Pontifex in P. Scipionis locum substitutus,
 & ad deducendas in Galliam colonias missus; postremò & præ-
 turâ, eo anno quo discordia inter Triumviros exorta est, fun-
 ctus: *vir, si Vellejo credimus, magni animi doctissimique ingenii.*

Sueton. Tib. c. 12
& seqq.

Idem c. 9.

Id. c. 4.

Vel. 2. 75. 1.

Ma-

MATER *Livia Drusilla*, *Livii Drusi Claudiani*, *nobilissimi* (ut idem *Vellejus*) & *fortissimi viri*, quique victis *Bruto & Cassio*, ne tentata quidem hostis, *Augusti*, *miseriordia*, se ipse in *tabernaculo* intererit, *filia*, *genere*, *probitate*, *forma Romanarum eminentissima*: quæ, postquam enixa esset *Nostrum*, cumque iterum gravida esset, *Augusto*, petenti sibi eam in uxorem, quem biennio ante metuens, cum marito & filiolo vix bimulo in *Siciliam* profugerat, consensu mariti, nupsit; si tamen consensus nominandus, qui vi magis, quam precibus extortus fuit. De ejus calliditate, ambitione, cupiditate regnandi, artibusque, quibus *Augustum* senem sibi devinxit, filioque imperium quæsit, passim *Tacitus*, *Dio*, *Suetonius*, alii.

Vell. 2, 71, 3. & 75, 1. Dio 48. P. 383. Sueton. ibid. & in Aug. c. 62. Dio l. c.

Vellej. l. c. Dio 48. P. 366.

L. Ann. 4, 3.

W. Liv. 6. 40.

ad Tib. c. 2.

§. VII. Non est hîc prætereundum, quod *Tacitus* narrat; multos in *Tiberio* veterem & insitam *Claudia* familie *superbiam* notasse. Passim nempe hæc gens, ut *superbissima*, *crudelissima* & *imperiiosissima* apud populares homines ac libertatis studiosos malè audiebat. Vid. *Livius lib. 2, 56. & l. 9, 34.* Qui & *pertinaciam* ei jam inde antiquitus insitam addit eod. l. 9, 29. Præcipuè *Appiorum* (hoc quorundam ex eâ gente prænomen fuit) ambitio, arrogantia, & odium populi, notissima. Quorum unus, cognomento *Crassus*, noti illius decemviri nepos, cum in *Comitiis tribunorum plebis* creandorum causa indictis, flexo in meliorem sensum convicto, questus esset, semper hoc unum familie suæ à *seditiosis tribunis* objectum fuisse, quod *Claudia* genti jam inde ab initio nil antiquius in rep. *Patrum* majestate fuerit; quodque semper plebis commodis adversati sint; alterum negare nō est ausus, professus, eos, ex quo adsciti sint simul in civitatem & patres, enixè operam dedisse, ut per illos aucta potiùs, quam imminuta majestas earû gentium, inter quas populus eas fuisse voluerit (i. e. *patriciarum*) dici verè possit; alterum ita negavit, ut tamen fateretur, quædam ipsorum dicta factaque contra voluntatem populi fuisse. Quæ non obscurè declarant ingenium gentis, ut ipsi quidem haberi volebant, aristocraticum; ut alii ac prudentiores interpretabantur, oligarchicum. Quod aliquanto dilucidius describit *Suetonius*, cum notissimum ait esse, *Claudios omnes optimates assertoresq; unicos dignitatis ac potentie patriciorum semper*

per fuisse, atque adversus plebem adeò violentos ac contumaces, ut ne capitis quidem quisquam reus apud populum mutare vestem, aut deprecari sustinuerit; nonnulli in altercatione & jurgio Tribunos plebis (etsi sacrosanctos & inviolabiles) pulsaverint. &c.

§. VII. Commonent nos, quæ de ingenio Claudiæ gentis diximus, ejus observationis, qua pridem à prudentibus deprehensum est, solere haud rarò certis quibusdam familiis certas virtutes, certave vitia insita ac velut hereditaria esse. Sic, ut gratæ brevitatis causa è multis pauca recenseamus exempla, Calpurniis ferox & impotens animus; Virginiis, Liciniis, Canulejis libertatis usque ad seditionem studium; Cassiis, Corneliis, Brutis, propensio in conspirationes adversus Remp. aut Principes; aliis alia vitia fuere. Contra Fabii ut patriæ amantes & populares; Bruti ut cōstantes; Valerii Publicolæ ut benigni & populares; Lælii ut hilares; Cassii ut tristes; Manlii ut duri & severi; Scipiones ut ambitiosi & bellicosi, passim apud Auctores prædicantur. Confer Machiavell. l. 3. ad Livium disc. 46, Piccart. obs. historico pol. decad. 6. c. 10, Rutgers. Variar. lect. l. 4. c. 5, Besold. in disc. Philolog. de nat. popul. c. 2, Bœcler. Comm. in Tac. 1. Ann. 4. annot. 3. & dissert. 3. ad Suet. th. 5; in primis Magnificum Dn. Presidem, Introduction. in Notitiam Orbis hodierni cap. 4. §. 9. hanc ingeniorum varietatem non tam temperamenti diversitati, quam educationis modo singulis familiis usitato adscribentem.

§. VIII. Sed redeamus ad Tiberium: qui, ut Suetonius in Tib. c. 6. porro scribit, infantiam pueritiamque laboriosam (sic enim legirim cum Ursino ac Pithæo) & exercitatum habuit. Quod tamen de prima tantummodo pueritia capiendum videtur; quamdiu scilicet comes usquequaque parentum fugæ, seu, ut Tacitus loquitur, proscriptum patrem exul secutus fuit. Nam postquam in Augusti domum privignus introit, (quod post mortem patris, qui moriens Augustum liberorum suorum tutorem fecerat, h. e. ut e Suetonio ac Dione colligo, quinto circiter ætatis anno, certe ante nonum, quo defunctum patrem pro Rostris laudavit, contingit) deinceps in eadem educltus, & pubescens iisdem ferme honoribus, quibus Augusti propinqui, adfectus est. Adriaco enim

6. A. 51, 2.

Suet. l. c. Dio
48. p. 384.

Tacit. & Suet.
4. cit.

B

tri

triumpho currum Augusti comitatus est, sinistrore funali equo, cum Marcellus Octavia (sororis Augusti) filius, dexteriore veberetur. Praesedit & Aetiacis ludis (sive malis Astycis; quod MSS. lectioni propius;) & Trojanis Circensibus, ductor turma puerorum majorum, quorum e numero ipse tum fuit, quippe (si Casaubono credimus) annum agens tertiumdecimum. Per qua dehinc, virili toga sumta, adolescentiam omnem, spatiumque insequentis aetatis, usque ad principatus initia transegerit, qua munera ludosque ediderit, quas uxores duxerit, quibus civilium officiorum rudimentis se ostentavit, qua bella, quos magistratus gesserit, quos honores consecutus sit, & cetera pleraque, qua privatus egit, studiosè narrat Suetonius: a nobis vel idcirco non repetenda hoc loco, quod Tiberium non tam ut privatum, quam ut Caesarem ac Principem contemplari constituimus.

de not. ad Suet.
l. 5.

de cap. 7. usque
ad 23.

Dio l. 56. p. 589.
Tacit. l. 1. c. 5, 1.

Suet. c. 21. Val.
de j. 2, 123.

Tacit. 1. Ann.
3. 2. & 4.
Dio 56. p. 589.

W. Baehler. not.
ad Vellej. p. 290.

§. IX. Transeamus nunc ad tertium nostrae dissertationis membrum; *Quomodo scilicet Noster ad Imperium pervenerit.* Ubi non repetenda mihi arbitror, qua supra §. 3. de Eius in familiam Augusti adoptione dixi. Saltem hoc adjicio; Quod Tiberius, post sui patris adoptivi Nolae in Campania obitum (non sine rumore, quod morbi incrementis & insequentis mortis causa Livia fuisset; quem augebat mulieris audacia, qua omnia pro dominatione filii audebat) ad Imperium occupandum ex itinere in Illyricum, Augusti jussu, suscepto properis matris literis, veritate, ne Posthumus Agrippa (ad quem visendum, paucos ante menses Augustum clam uxore, ut ait Dio, electis consciis & comite uno Fabio Maximo, Planasiam vectum, multaque illic utrinque caritatis, placatiq; animi, signa deprehensa fuisset, rumor inceserat) imperium filio praeiperet, revocatus, exspectato maturius advolaverit. Quae quidem celeritate omnino opus erat. Non solum, quod vereri habebat Tiberius, ne quis alius spem suam interciperet: sed etiam, ut arcana Imperii (qua plerumque magni Principes, dum superstites sunt, ne cum pluribus communicata vim suam amittant, suae cognitioni reservare unicè, nec ante successori, quam instante fatali hora, aperire solent) ultimamque patris voluntatem excepisse vide-

videretur; quæ res illi in posterum, illiusque consiliis, plurimum apud populum ac Senatum auctoritatis conciliare, multisque prætextibus inservire poterat. Tum, ut cum fama mortis Augusti, fama successionis (quod semper hoc casu tutissimum est; cum in monarchiis, præsertim majoribus, plurimum publicæ tranquillitatis securitatisque imperantium interfit, ne populi vel ad momentum de successore dubitent:) conjungeretur. Quod cum primis necessarium reputans Livia, ac metuens, ne Tiberio adhuc in Dalmatia degente aliquid novi existeret, usque ad ejus adventum mortem Augusti clam habuit. Scio, Suetonium tradere, ab Augusto revocatum ex itinere Tiberium, jam quidem affectum, sed tamen spirantem adhuc eum reperisse, fuisseque una secreto per totum diem; alios quoque, apud Dionem, perhibuisse ab Augusto mandata quedam accepisse Tiberium: Vellejum denique etiam amplexus Tiberii, ac novissima Augusti verba, memorare. Sed potior mihi Dionis est auctoritas, plurimum ac fide digniorum Scriptorum fide nixa. Inter quos merito & Tacitum referimus: qui etsi negat, satis compertum esse, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam, an exanimem repererit Tiberius; declaratione tamen circumstantiarum, & cohærentium & eventus (ut solet in his talibus; vid. Bæcl. ad eum loc. annot. 1.) haud obscure lectori ostendit, qui rumor, quæ opinio magis sibi probetur. Utcunque se ea res habuit, constat acribus custodiis domum & vias sepsisse Liviam; lætosque interdum nuntios vulgatos, (quasi in melius iret valetudo principis, ut alibi Tacitus in re simili loquitur) donec provisus, quæ tempus monebat (inter quæ haud dubiè mors Agrippæ, ac litteræ à Tiberio Imperatori auctoritate ad exercitus & provincias missæ, numerari debent) simul excessisse Augustum, & rerum potiri Neronem, fama eadem tulit. Solito Principibus ac secretorum regionum arbitris artificio, quo pridem, cæso Tarquinio, usa fuerat Tanquil, & paullo post, Claudio Cæsare defuncto, Agrippina. Nisi quod Agrippina non homines tantum, sed Deos ipsos ac religionem ludibrio habuit, dum quasi pro egro adhuc vota suscepta sunt, cum jam exanimis Claudius vestibus ac fomentis obtegeretur. Plura & recentiora fraudis hujus exempla suppeditabit illustris

Forstnerus.

B 2

S. X

v. Bæcler. Com.
ad Tacit. 1. A.
5. annot. 30

Dio 56. p. 590.

Suet. Tib. c. 21.
Grin Aug. c. 98.

2. 123. f.

1. A. 5. 4.

Tac. 1. c.

12. A. 68. f.

Vid. Liv. 1. 41.
Suet. Claud. 45.
Tacit. 12. 68.

in not. ad Ann.
1. Taciti pag. 80.

lib. 3. Belgii
Romani cap. 3.
Suet. c. 21. Tac.
1. A. 3. 5. Vel.
lej. 2, 121, 1.
Suet. c. 24.

Tac. 1. A. 7. 5.

Dio 57. p. 602.

Suet. c. 23.

Tac. 1. A. 7. 4.

Suet. c. 24. & 25.

Tacit. 1. A. 11.

& 12. add. Dio

56. p. 603.

Sueton. c. 14.

§. X. Romam dehinc, confirmato sibi milite, *interempto-*
que centurionis ministerio *Agrippa*, ac *excessu Augusti* palam fa-
cto, reversus *Tiberius*, *Principatum* (quem, si *Aegidium Bucheri-*
um prolixè hoc ostendere conantem sequimur, jam annum al-
terum in Provinciis, quas, vi legis per consules late, cum *Augusto*
communiter, ut collega Imperii, administrabat, gesserat) neque
occupare confestim, neque agere dubitavit, etiam statione militum,
h. est, ut bene *Suetonius* interpretatur, vi & specie dominationis,
cunctisque fermè Principatus insignibus ac instrumentis ad-
sumatis. Signum enim, sive tesseram, pratorii cohortibus ut Impe-
rator dabat. Excubie, arma, cetera aula. Miles in forum, miles
in curiam comitabatur. Litteras ad exercitus, tanquam ADEPTO
PRINCIPATU misit: nusquam cunctabundus, nisi cum in Se-
natu loqueretur: ac, ut paucis omnia complectar, τὰ τῆς ἀρχῆς
ἐργὰ πάντα διοικῶν, Principem opere ac re ipsa per omnia agens. In-
terim in Senatu (quem jure tribunitiæ potestatis, pridem sibi
concessæ prorogataque, id unum ex publicis muneribus se usur-
pare professus, coegerat) tanquam ambiguus imperandi, callida
declinatione diu Principatum recusavit impudentissimo animo;
nunc adhortantes amicos increpans, ut ignaros, quanta bellua esset
Imperium, nunc precantem Senatum, ac (ne simulationem intel-
ligere videretur) procumbentem sibi ad genua, inque lachrymas,
questus, vota effusum, ambiguis responsis suspendens: mox, repræ-
sentatâ Senatui Imperii amplitudine, partes sibi, quas Senatui li-
beret, tuendas in Rep. quando universe nemo sufficeret, deposcens.
Tandem tamen qs. coactus, & querens miseram sibi imponi servitu-
tem, recepit Imperium, nec tamen aliter, quam ut depositurum se
quandoque spem faceret. De quo Ejus Accisimo plura dicemus
infra, cum ad artes & arcana Ejus ordo nos deduxerit.

§. XI. Vidimus, quo pacto *Tiberius* Principatum occu-
parit: nunc, re paullo alius repetita, dicemus breviter, quas
ob causas, quibus artibus, & per quos gradus eo pervenerit,
ut Imperium occupare posset. Conceperat ab initio ætatis (nec
minus, credo, mater ejus *Livia*) & ostentis & predictionibus ma-
gnam, nec incertam, spem futurorum. Quippe *pregnans Livia*
cum, an marem editura esset, variis captaret ominibus, ac inter alia
ovum,

ovum, incubanti gallina subductum, nunc sua, nunc ministrarum
 manu per vices fovisset, tandem pullus insigniter cristatus exclusus
 est. Et mox de infante Scribonius Mathematicus præclara spon-
 dit: etiam regnaturum quandoque, sed sine regio insigni: ignota
 scilicet tunc adhuc Cesarum potestate. Id quoque inter omina
 futurae magnitudinis fuisse non dubito, quod per Siciliam ^{Suet. 6. 6.}
 Achaïam circumductus, ac Lacedæmonis, quod in tutela Claudio-
 rum erant, demandatus, digrediens inde itinere nocturno, discrimen
 vite adiit, flamma repente è silvis undique exorta, adeoque omnem
 comitatum circumplexa, ut Livia pars vestis & capilli ambureren-
 tur. Nam & postea, cum ingresso primam expeditionem accidisset,
 ut apud Philippos, Macedoniæ urbem, sacratae olim victricium, ^{idem c. 14.}
 legionum aræ sponte subitis collucerent ignibus, cumque paullo an-
 te quam ex Rhodo insula Romam rediret, vestimenta mutanti
 tunica ardere visa esset; utrumque inter ostenta, quibus spem fu-
 turorum concepit, recensitum est. Asinum quoque, scintillas è
 corpore multas & magnas ejicientem, adolecenti adhuc (ἐπιμει-
 γαίω ὄντι) & in Rhodo operam danti eloquentiæ, Imperium præsi-
 gnificasse, è Plutarcho tradidit Damascius in vita Isidori Philosophi,
 Photio excerpta. Et in universum flammæ ejusmodi illis qui- ^{in biblioth.}
 bus eveniunt lætos plerumque successus, & futuram claritu- ^{cod. 142.}
 dinem portendisse, passim historiæ docent; idemque post alios
 ante hos annos XX prolixè ostendit Ezechiel à Castro, Medi-
 cus Judæus, lib. 2. de Igne lambente cap. 6. qui & quattuor præ-
 cedd. capitibus multa ejusmodi ignium exempla cum in homi-
 nibus tum in brutis, plantis & rebus inanimatis deprehensa,
 congescit. Quædam & Freinshemius ad Flori 1, 6, 1, & Curtii 3, 3, 3.
 annotavit.

§. XII. Tot præfagiis (quibus postea alia accessere, ^{Sue Suet. d. c. 14.}
 tonio memorata) excitata spes magis adhuc aucta est, postquam,
 Livia Augusto collocata, Tiberius in domum Augusti privignus ^{Tacit. 6. A.}
 introisset. Quare & mater omni ope connixa est, ut, exclusis ^{51. 2.}
 Augusti nepotibus, filium ad Principatum eveheret; & Tibe-
 rius in ea omni studio intendit animum, quibus viam sibi ad
 Imperium munire posset. Ac Livia quidem ante omnia dili-
 genter curabat, ut filius suus maturè artes | moresque regios,

Tac. 1. A. 4, 2.
& 4. & ibi Bæ-
cler. in Esar-
sat. p. 62.

Suet. Tib. 50.
Dio 57. p. 699.

Tacit. 1. A. 10,
B. & c. 6, 4.

Suet. Aug. c.
6; Tac. 1. A.
3, 1.
Senec. consol. ad
Marc. cap. 2.

Tacit. 1. A. 3,
3. & ibi Bæcler.
in Comment.

omnemque disciplinam fastigii Monarchici edoceretur, eaque perdisceret, quibus adquiri firmarique Imperium, & quod reliquum erat libertatis, penitus subverti tandem extinguique posset. Id quod innuisse videntur, qui inter *varios rumores*, quibus paullo ante mortem Augusti *multo maxima pars* civium Romanorum *imminentes dominos differebant*, Tiberium etiam idcirco metuebant, quod *prima ab infantia in domo regnatrice eductus* esset. Deinde quoscunque proposito suo videbat officere, eos modis omnibus partim ope mariti, partim fraude ac dolo, amoliri eque medio tollere ntebatur. Quod eo facilius poterat efficere, quod, *Suetonio ac Dione* testibus, immiscere se negotiis publicis, ac res Imperii tractare solebat. Præcipue vero sanguinem Augusti, ac propinquos ejus, *gravis domui Caesarum noverca*, profecuta *novercalibus odiis*, quibuscunque poterat fraudibus ac dolis aut deprimebat aut opprimebat: ne quis eorum filio suo imperium, quod spe votisque illi destinabat, præriperet. Sane Marcellum, Octaviae filium, & cum *vix pueritiam egressus* esset, ab Augusto in generum adsumtum, mox etiam *Pontificatu & curuli edilitate* ornatum, (cui & *avunculus & socer* incumbere cæperat, in quem onus imperii *reclinare*; *adolescens animo alacrem, ingenio potentem, sed & frugalitatis continentiaeq;* in illis aut annis aut opibus non mediocriter *admirandum*; *patientem laboris, voluptatis alienum, & quantumcunque illi imponere avunculus & inædificare voluisset, laturum*;) eum, inquam, Marcellum instinctu Liviae, quod filiis illius *preferretur*, clandestino mortis genere sublatum esse, haud levis suspicio fuit. Videndi *Dio extr. lib. 53. Jos. Scaliger ad Propertii lib. 3. Eleg. 17. & Lipsius Comment. ad Annal. 1. Taciti n. 19.* qui, nec Augustum ab ea suspicione liberum fuisse, e *Tacito 1. Ann. 41. 5. ac Plinio Nat. Histor. 7, 45.* colligit: quod tamen, ut *repugnans moribus Augusti ac Marcelli, iudicioque ipsius Taciti*, minus verisimile videtur *Cyr. Lentulo in Arcan. regnor. cap. 5. pag. 177.* Ob Caji quoque ac Lucii, nepotum Augusti (quos avus adoptatos, ac *nondum posita puerili prætexta, Principes juventutis appellatos ac Consules designatos*, pridem tanquam eos, quibus spes successionis *incumberet*, publice monstraverat,) mortem, *Liviam,*
quem-

quemadmodum & Tiberium, suspectos fuisse, clare è Dione, ut creditur, Zonaras refert: idemque innuere non solum Tacitus videtur, more suo dubitans, num eos mors fato propera, vel ne-
verca Livia dolus abstulerit; sed etiam Plinius l. c., inter Augusti infortunia incusatas liberorum mortes, luctusque non tantum orbitate tristes recensens. Denique quod tertium è Julia nepotem, Agrippam, una cum Tiberio adoptatum, Augustus, etsi nullius flagitii compertum, abdicavit, inque Planasiam insulam, Corsicæ vicinam, projecit, id Tacitus disertè artibus Liviæ, quibus senem Augustum devinxerat, tribuit. Quanquam non ignoro, alias relegationis causas à Vellejo & Dione adferri.

§. XIII. Porro sicuti sanguinem Augusti à successione excludere conata est Livia; sic Tiberium ei commendare, viamque illi ad imperium munire, quacunque occasione oblata studevit. Ac primo quidem obscuris artibus effecit, ut Augustum, integra etiam dum domo sua, i. e. Cajo Lucioque superstitionibus, Tiberium & Drusum privignos imperatoris nominibus. (quæ milites illis obtulerant) auget: mox etiam, ut post Lucii mortem, adhuc Cajo vivo, Tiberium adoptare vellet: quod tamè netum faceret, vehementer repugnante Tiberio, si Vellejo credimus, est inhibitus. Tandem, etiã Cajo defuncto, palam hortata Augustum, ut Tiberio fides ac dignitas successionis constitueretur, eo facilius, quod cupiebat, impetravit, quod Augustus jam senio remollitus, ac pene obnoxius muliebri imperio erat. Itaque filius, collega Imperii, consors Tribunitia potestatis adsumitur, omnesque per exercitus ostentatur; nihilque ex eo tempore intermissum est ad majestatem ejus augendam, præsertim postquam Agrippa abdicato atque seposito, certum erat, uni spem successionis incumbere. Atque hæc omnia machinante Livia, & filio suo id fastigium struente. Qui nec ipse quicquam eorum omisit, quibus Augustum sibi conciliare, ac permovere posset, ut successorem sese destinaret. Id quod duobus potissimum mediis obtinuit: rebus bello gestis (quas compendio recenset Suetonius cap. 9. 16. & seqq.) & simulatione præclarissimam virtutum, vitiatorumque, quibus scatebat, dissimulatione. Quorum uno consecutus est, ut ab Augusto viri fortissimi & ducis vocaretur (scilicet,

Zon. tom. 2. p. 167. Tacit. l. 6.

Tac. 1. A. 30. 6.

Vell. 2. 112. 70.
Dio l. 55. 687.

Tac. 1. A. 31. 20.

Vell. 2. 103. 20.

Tac. 1. A. 31. 9.

Suet. Tib. c. 15.
add. Vell. 2. 103.
& Dio 55. p. 637.

Suet. c. 21.

(seu, ut *Casaub.* emendat, *γούμωτίττ*) elogio ornaretur; altera, ut, quoad *privatus*, velin *imperiiis sub Augusto* fuit, egregius *vita fama*q; videretur; Augustusque si *Suetonio* credimus, *perpensis illius vitis virtutibusque*, potiores duxerit *virtutes*; utroque, ut idem *Augustus* post longam *deliberationem* ad extremum dignum aptumque *imperio*, tuendoque ac *stabiliendo* statui monarchico, *judicaret*.

§. XIV. Fuere tamen, qui *Tiberium* potius ab *Augusto* invito, aut alia quacunque causa, quam *judicio & quod dignum aptumque imperio* *judicaret*, adoptatum *successorem*que *constitutum* existimarent; quippe qui *illius sevitiis & arrogantiis*, ac *diritatem morum*, ceteraque e *vitia* male *disfinita*, & *animadverterit intropexeritque*, & *palam nec dissimulante improbarit*: immo *sapius de acerbitate & intolerantia morum* *ejus* in *codicillis* ad *Liviam* *questus* sit, *sape* quoque *mores* *ejus* *ingratos & arrogantis* *plenos excusare* *tentaverit* *apud Senatum* ac *populum*, *professus* *Nature vitia* esse, non *animi*; cumque *ei* *tribuniciam potestatem* a *Patribus* *rursus* *postularet*, *quedam* de *habitu cultuque & institutis* *ejus* *jecerit*, *que*, ut *Tacitus* *interpretatur*, *velut excusando* *exprobraret*: *cujus* *denique* *moribundi* de *Tiberio* *vox* *per cubicularios* *excepta* *ferebatur*, *Miserum* *populum Rom.* *qui sub tam lentis maxillis* *erit*. *Præterea* *noo* *deerant* *alii* *sanguine* *aut affinitate* *Augusto* *juncti*, *quos* *ad* *Principale* *fastigium* *potuit* *extollere*. *Supererat* *enim* *unicus* *è* *Julia* *filia* *nepos*, *Agrippa* *Posthumus*, *rudis* *sane* *bonarum* *artium & robore corporis* *stolide* *ferox*, *nullius* *tamen* *flagitii* *compertus*: *quem* *etiam* *una* *cum* *Tiberio* *adoptavit*. *Erat* *illi* *præterea*, *cum* *Tiberium* *adoptaret*, *progener* *L. Æmilius* *Paullus*, *Julia* *neptis* *maritus*, & *triennio* *ante* (*nisi* *duo* *diversū* *sunt*, *quod* *Ant. Augustino* *videbatur*.) *cum* *Cajo* *Cæsare* *Consul*. *Erat* *denique* *Germanicus*, *sororis* *Augusti* *nepos*, *Drusique*, *ex* *eadem*, *ut* *credebatur*, *per* *adulterium* *procreati*, *filius*; *vulgo* *favorabilis* & *cunctis* *laudatus*: *quem* *an* *sibi* *successorem* *destinaret*, *ac* *rei* *Romane* *imponeret*, *diu* *cunctatus* *est*. *Quibus* *omnibus* *tamen* *cur* *Tiberium* *prætulerit*, *iam* *olim* *inter* *prudentes* *quæsitum* *fuit*. *Quorum* *aliqui* *Tiberium* *non* *caritate* *aut* *Reip.* *cura* *successorem* *adsci-*

Tacit. 6. A. 51,
Suet. 1. 6.

Tacit. 1. A. 10,
9. Suet. c. 21.
add. Dio 56. p.
599.

Suet. 51. & 68.

Tacit. 1. A. 10,
10.

Suet. 21. ubi
vid. Casaub.

Tacit. 1. A. 3, 6.

lib. de famil.
Rom. p. 302.
ad. Rom.

Suet. Calig. 4.
Tacit. 4. A. 55.

Tacit. 1, 10, 9.
Suet. 21. add.
Dio 56. p. 599.

adscitum censebant, sed Augustum ambitione tactum, comparatione deterrima sibi gloriam, uique tali successore desiderabilior ipse, quandoque fieret, quasiuisse. Quam tamen suspicionem post mortem demum Augusti, immo serius aliquanto, in quorundam animis excitatam fuisse, non solum e Tacito colligere est, sed diserte tradit Dio: *serius hac spargi cœpisse* adfirmans. Cum scilicet, ut paullo ante dixerat, homines Tiberium, post Augustum, haud ipsius similem experti, ipsum requirerent. Alii, Augustum expugnatum precibus uxoris, Tiberium sibi adscivisse, seu, ut Suetonius loquitur, adoptionem non abnuisse, censebant. Quo etiam pertinet, quod Dio describit: *Livia, invito Augusto, ipsi imperium parasse ferebatur.*

§. XV. Scio equidem, Augustum gloriae posthumæ cupidissimum, eque omni occasione captatorem fuisse: eoq; facile concesserim, fieri potuisse, ut, cum necessario successionem Tiberio constituendam esse animadverteret, non solum graviter haud ferret, sed etiam gauderet, ac fortasse speraret, suas virtutes illius vitiis magis illustrari posse. Quemadmodum & Tiberius ipse, cum sive ex captatis omnibus ac prædictionibus, sive politicis judiciis cognosset, imperiû ad Caligulam perventurum; etsi ferum ejus ingenium mature perspexerat, dictisque notabilibus denuntiaverat, sciretque adeo, pessimum futurum: haud illibenter tamen (*ἀσμελώς*) etiam eam ob causam imperium ei tradidit, ὅπως τὰ ἑαυτῆ τῆ τῆ Γαίης ὑπερβολῆ συγκροφῆ, ut sua facinora gravioribus Caji flagitiis occultarentur. Adduci tamen nequeo, ut hanc præcipuam causam adoptati, successorisque constituti, Tiberii fuisse credam. Pugnaret enim hoc consilium cum prudentia Augusti, quem, utpote *circumspectissimum & prudentissimum principem*, credi par est, in tanto præsertim negotio, nihil temere fecisse. Pugnaret cum ejusdem bonitate & amore in rempublicam, cujus utriusque plurima nec obscura, indicia exstant. Pugnaret cum excellenti illius ac heroica virtute, rebusque gestis; quæ neque tam paucæ, nec tam obscuræ humilesque erant, ut, tanquam proprio splendore destitutæ, eum à comparatione Tiberianorum scelerum veluti mutuari opus haberent. Pugnaret denique cum illa ipsa

C

cupi-

Suet. c. 21. Tacit. 4. A. 57. 5.

lib. 57. p. 605.

Suet. Calig. c. 11. Tacit. 6. A. 46. 4. & 5. Dio 58. p. 634.

Suet. Tib. c. 21.

v. Mutius consider. 52. supra Tacit. p. 92.

Plinius Paneg.
Traj. c. 11. 4. &
c. 89. 1. add
Forstn. ad 1. An.
Tac. p. 48. & seq.

cupidine gloriæ ac in posteros ambitione, qua permotus credebatur, ut pejorem se successorem eligeret. Neque enim ignorabat, in Principe qui electo successore fato concessit, unam itemque certissimam divinitatis fidem esse bonum successorem: nec alio magis approbati animi magnitudinem, quam si optimus ipse Princeps non timuit eligere meliorem. Meliorem igitur, aut saltem parem, modo præsto fuisset, Augustus utique electurus erat, si ambitionem suam ea in re sequi voluisset. Postremò, si hæc Augusto causa præcipua eligendi Tiberii fuit, quæ factum est, ut rumor ille serò demum, nec nisi inter paucos (id enim, quæ Tacito ac Dione laudavimus, innuunt) sparsus sit, nec ulla, superstitè Augusto, consilii ejus indicia emanârint? E quo profectò haud vane colligas, non ante suspicionem illam fuisse natam, quam vitia Tiberii, antea summo studio obteçta, patescere cœpissent.

4. A. 57. 4. & 5.

Tacit. l. c. add.
Dion. 57. p. 609

Tac. 2. A. 7. 7.

lib. 57. p. 603.

§. XVI. Vera autem, & post fatum seu divinam providentiam (cujus singularem destinationem heic quoque merito, non uno indicio moti, agnoscimus) præcipua causa adoptati ac ad imperium eveçti Tiberii haud dubie fuere artes precesque Liviæ. Id quod, præter communem rumorem Dioni memoratum, expressamque Taciti affirmationem, & varios actus artesque Liviæ, passim Tacito ac Dioni recensitas, vel id unum clare firmiterque ostendit, quod Livia, cum animadverteret Tiberium se dominationis sociam aspernari, donum suum, dominationem ipsam, ei exprobrabat ac reposcebat. Quæ enim hoc ausa esset, nisi certò scisset sibi imperium debere filium? Immò id ita esse, haud obscure significavit ipse Tiberius, cum diutina recusatione imperii id, inter alia, intendit, ut vocatus electusque potius à Repub. videretur, quam per uxorium ambitum & senili adoptione irrepisse; seu, ut Dio loquitur, ne a Livia, sed a Senatu, coactus etiam, tanquam qui virtute illos antecelleret, accepisse imperium videretur.

v. Bacl. Comm.
ad Tac. l. A. 10
p. 181. seq. &
diss. 3. ad Suet.
109.

§. XVII. Ceterum ut Augustus precibus artibusque uxoris locum daret, haud dubie causæ ex publico accessere. Nec enim quicquam temere in tanto negotio fecisse videtur. Erat vastissimo imperio, quod fundaverat, cujusque robur præcipuum

pium in armis erat, opus viri, qui non tantum indole, sed etiam
 aetate atque experientia esset imperatoria; nec minus aucto-
 ritate ac militari gloria præcelleret. Sine his enim futurus
 Princeps nec tot tantisque reip. negotiis par, nec Romanis
 exercitibus venerabilis, nec tot gentibus passim in rebellionem
 pronis, totque hostibus, undique Rom. imperium cingenti-
 bus, formidabilis esse poterat. His omnibus pollebat Tibe-
 rius. Præterea verendum erat, ne idem Tiberius, avidus im-
 perii, rebusque bello gestis clarus, & militi gratus, si depelli se-
 se de spe successionis aut intelligeret, aut suspicaretur, non ex-
 spectato Augusti excessu imperium raperet. Itaque hac velut
 offa deliniendus, ac filius, collega imperii, certusque successor
 adsumendus ac ostentandus erat. Denique si maxime Augu-
 stus ad extremum Agrippæ aut cui alteri imperium relinquere
 voluisset; ad eam tamen potentiam atque auctoritatem jam
 provectus erat Tiberius, ut nec excludi a successione, nisi ma-
 gno cum periculo totius reipub. posset; nec passurus videre-
 tur, ut alius imperio sive solus sive secum potiretur. Contra
 nihil ejusmodi à reliquis, quos ad imperium evehi potuisse
 diximus, metuendum erat. Nec enim eadem illis potentia,
 eadem auctoritas, eadem imperii cupido erat. Immo nec ap-
 ti satis imperio videbantur. *Agrippa certè non aetate, quippe*
juvenis, neque rerum experientia, tanta mole par habebatur.
Præterea rudis erat bonarum artium, & robore corporis stolide fe-
rox, ingenio item truci, sævo & scordato, ira præcipitis, moribusq.
servilibus. Quæ pravitate animi atque ingenii, quodque Levi-
am (sic enim omnino scribere debuerat aut ipse Dio aut eum de-
scribentes librarii) tanquam novercam, convitiis proscindere,
ipsumque sæpius Augustum propter patris bona insimulare solebat,
nec ad sanio rem mentem reduci se patiebatur, sic patris atque ejusd.
avi sui animum alienavit sibi, ut ab eo primum abdicatus seposi-
tusque Surrentum, mox (cum multa sævaque de moribus adolescen-
tis questus, ut exilium ejus Senatusconsulto sanciretur, perfecisset)
in insulam Planasiam projectus, ejusque facultates in ærarium mili-
tare relatæ sint. Eaque ignominia sic accensus, ac, more exulum,
amplius efferatus credebatur, ut plerique sibi persuaderent,

Tac. i. A. 4. 30

v. Tac. i. A. 3. 60

Suet. Aug. 65.

Dio 55. p. 569.

Vellej. 2. 112. 70

Dio l. c. p. 570.

Vellej. l. c.

Suet. l. c.

Tac. i. A. 6. 30

Tac. i. A. 4. 30

& ibi Baclerq.

p. 61.

lib. 2. Belgii
Rom. c. 10, 5.

sub misera tyrannide vivendum fore, si is imperium adipis-
retur. Cur *Paullum Æmilium* prognerum Augustus abjece-
rit, nullibi lego. Non displicet tamen conjectura *Bucherii*, au-
toritate *Suetonii Aug. c. 16. Plinii 7. Nat. hist. 45. & Scholiastæ*
Juvenalis ad satyr. 6, 157. nixa; idcirco fortasse neglectum fuisse,
quia *subinde memor, quod ab Augusto proscriptus olim esset Paullus*
pater (quod de illius servo notet etiam Suetonius) nonnulla nondum
equi animi proderet indicia, socero nunquam non suspecta. Ut-
cunque fuerit, nec rebus gestis clarus, nec ea, quam rei magni-
tudo poscebat, ætate, experientia ac auctoritate fuisse vide-
tur. Solus *Germanicus*, ob virtutes egregias, favoremque po-
puli atque exercituum, dignus imperio videri poterat. Sed ei
quoque, præter ætatem nondum satis experientia ac auctori-
tate imperio aptam, ea quæ de potentia, auctoritate & ambi-
tione *Tiberii* diximus, obstabant. Videbaturque satis illi fu-
turum, si ut idoneus principalium curarum adjutor adsumere-
tur. Id quod illius adoptione, *Tiberio* imperata, respexisse
Augustus videtur. Quanquam & alia causa adoptati *Germa-
nici* esse potuit. Uti scilicet reverentiâ virtutum ejus cohibe-
ret sævitiam ceteraque vitia *Tiberius*, virtutesque fingeret.
Quod etiam factum esse, donec *Germanicus ac Drusus* superfuere,
tradit *Tacitus* extremo *Annali 6.*

G. A. 51. 5.

Bæcher. diff. de
polit. Lips. c. 3.
sub init. Add.
ejusd. Charact.
Vellej. c. 1. &
Naudæ bibliog.
polit. p. m. 115.
1799.

§. XVIII. Explicato & tertio Dissertationis nostræ mem-
bro, consequens est, ut de *ingenio Tiberii* quædam dicamus. In
civilis prudentia ingeniorum cognitionem multo usui esse, vel
inde apparet, quod ad indolem negotiorum penitus cogno-
scendam non gesta solum & eventus, sed & causas scrutari ne-
cesse habemus. Equibus, post vim divini numinis supremam,
omnia gubernantem, præcipua est ingenium & animus ipse a-
gentis. Qua de re eleganter *Vir doctissimus; Actiones*, inquit,
ex ingenio emergunt; actionum forma similitudine ingenii agentis
imbuitur; actionum consilia pariter & eventa juxta conditionem
ingenii stant caduntque. Ex varietate non ingeniorum modo, sed
ingenii, varietas maxima nascitur actionum & difformitas. Deni-
que quicquid in actione cognoscitur, ad simulacra potius actionis per-
tinet, nisi ex agentis animo, tanquam è fonte, penitiorum rerum na-
turam

turam derivaveris. Animadvertisse hoc & Sallustius videtur, cum conjunctionem Catilinariam descripturus ab auctoris ingenio initium dicendi sumendum sibi putavit. *De cuius hominis* (Catilinæ scil.) *moribus*, inquit, *parca prius explananda sunt, quam initium dicendi facio.* Quod & in Nostro observandum duximus. c. 4. extr.

§. XIX. Ingenia in tres classes distribuunt, qui eorum varietatē accuratius exposuerunt: in *Vulgaria* scilicet, *Eximia*, & *Summa* five *singularia*, quæ & *Heroica* vocant: hisque præditos, pro diversis eminentiæ gradibus, denuò in *Heroës* & *Viros Heroicos* dispescunt. Ad quam igitur classem Tiberius noster referendus? Posset aliquis, cum Vellejum, nimio assentandi studio, multa ac grandia de eo prædicantem legit, in eam opinionem venire, ac si Heroibus adnumerandus sit. Quam enim aliam, quàm heroicam, indolem concipias animo, cum *juvenem genere, forma, celsitudine corporis, optimis studiis maximoque ingenio instructissimum, qui protinus, quantus est, sperari poterit, visusque prætulit principem: & per id quod agebat, quantus evasurus esset, eluceret:* cum item post unum, (Augustum scil.) *eminentissimum, ducum maximum, fama fortunaque celeberrimum, & verè alteram reipub. lumen ac caput; prædicari, audis? Quid, nisi summam ac plane excellentem virtutem, cum non diu querendum fuisse Augusto, quem legeret, sed legendum qui eminebat; cum questorem undevicesimum annum agentem præcipua omnium virtutum experimenta edidisse, legis? Quid nisi omnium pæne virtutum exemplar, cum ei miram & incredibilem atque inenarrabilem pietatem; miram, præsertim in bellis, felicitatem; singularem, ut vindicis custodisq; imperii & præsidii militum a uni-* v. Bæcl. in char. Vellej. c. 1, 8. & c. 3, 2.

ci, in custodienda securitate publica & exercituum, operam; singularem item b prudentiam ac moderationem: summam c modestiam; auctoritatem d imperatoriam; eximiam virtutem & curam bellicam e; summam ac in sustinendis laboribus & periculis modum excedentem f tolerantiam; singularem favorem g populi, omniumque civium; tantamque majestatem, ut nec bonis, neque contra malos armis opus foret h: eximiam porrò i libertatem, munificentiam, justitiam, gravitatem, ac in rebus gerendis Vell. 2, 94, 2. Idem 2, 99, 1. 2, 103, 2. 2, 94, 4. 2, 99, 2. 2, 107, 3. c. 97, 1. c. 99, 4. c. 106, 1. c. 122, 3. c. 129, 4, 5. a 2, 100, 1. c. 103, 5. c. 104, 2. c. 111, 2. c. 121, 1. b 2, 111, 4. c. 113, 2. c. 119, 1. c. 122, 1. c 2, 122, 4. d 2, 111, 4. e 2, 103, 2. c. 106, 3. & c. f 2, 122, 4. g 2, 99, 3. c. 103, 5. h 2, 114, 1. i 2, 126, 4. c. 129, 2. j 5. c. 130, 1. 2. f.

dis celeritatem; cœlestissimorum deniq; operum patratiorem tribui vides? Hæc enim omnia vix ulli alteri, quam heroi, adscribi jure possunt.

§. XX. Sed jamdudum observatum est eruditis, Vellejum in sui ævi rebus nimium *Tiberio, sub quo scripsit, sub quo domi, militiaeque dignitates adeptus est, & propter Tiberium Liviam quoque ac Sejano* (addo ego, & M. Vinicio, Tiberii progenero, ad quem duos illos historiae libros scripsit) *adulatum, non minus irritis quam vanis elogiis ornasse, quos severiora & plura publicæ auctoritatis monumenta gravius notavere.* Quare ut cetera Tiberii, ita & ingenium ac indoles ejus, non ex eo scriptore, *cujus & opera aule obstricta, & veneratio Principi debita, & affectus, ac per hunc ipsa ratio judiciumque, ad Augusta domus splendorem inclinatum, neque silentii neque expositionis viam habuit;* sed aliunde, puta è Tacito, Suetonio, Dione, gravissimis sine dubio scriptoribus, peti cognoscique debent. Horum autem historiae clarissimè ostendunt, Tiberium aut omnibus, aut plerisque heroicæ indolis notis fuisse destitutum. Non enim erat in eo lætus ille & alacris vigor, ac impetus heroicus: non generosus, apertus, & placabilis animus: non heroica prudentia, constantia, celeritas, eloquentia, auctoritas: nulla in prima ætate ac adolescentia singularium factorum præludia, nulla excellentis virtutis de illo spes: non denique illa singularis ac inusitata, heroibus à DEO plerisque concessa, felicitas eum comitata est. Nam quæ ante Principatū adeptum bello prospere gessit, crebræque victoriæ ex hostibus reportatæ, non tam illius fortunæ, quam Augusti auspicio, tribuendæ sunt: *heroicis que radiis quidem, sed ab Herois sole accensis, effulsisse videntur.*

§. XXI. Quæ cum ita sint, adeo inter Heroës aut Viros heroicos, eo quidem significato, quo nos in præsentī vocem *herois* accipimus (multifariam enim à scriptoribus usurpatur) locum Tiberio non adsignam⁹, ut pæne dubitemus eum in Eximiis, seu mediæ classis, ingeniis habere. Quanquam enim præter *Vellejum* & alii Scriptores magnam prorsus ac singularem naturam, summasque artes, illi tribuant: plura tamen in eo deprehendas, quæ nescio annon indicio sint, haud multum

Vul-

Bæcler in orat.
de Velleji histo-
ria pag. 27. &
seq.

vid. eund. Bæcl.
in charact. Vell.
cap. 2, 45. & seqq.
& cap. 3, 6. & 8.
item Comment.
Nepotii pag. 32.
seqq. edit. Jen. 7.

vid. Bæcl. char.
Vell. 33. 10.

Vulgarium conditionem ingeniorum eum supergressum esse. Id quod amplius elucescet, si enumeratis, seu potius breviter indicatis, specialibus quibusdam ac, ut *Suetonius* appellat, in-^{Suet. c. 54.}terioribus animi ejus notis, à dictis scriptoribus commemoratis, *characterem ingenii Tiberiani* paullo explicatius lectori exhibuerimus. Tales autem sunt (1.) *callidum ingenium*, apud *Tacit. 1. A. 80, 4.* h. e. sollers, vafrum, astutum, versipelle, & decipiendis hominibus aptum, ac in omnes formas versatile: quale fermè in *Lyfandro & Alcibiade Cornelius Nepos*, ac *Plutarchus*,^{vid. Brasim. Bruchmand. (pob. eim. ethic. hinc. stor. capp. 3. 67.)} in *Philippo Macedone Demosthenes*, in *Hannibale Livius*, in *Catilina Cicero*, in *C. Mario*, *Sylla*, *Septimio Severo*, alii notârunt. Nisi quod *Tiberio* vafrities tristior, magisque morosa ac degener, nec modo à *leonina* indole, sed etiam à *vulpina* astutia in^{v. Baet. char. Vell. 308.}ignobiliora omnia depressa, fuit. Ejus indicia passim in universa *Tiberii* vita se offerunt. (2.) *anxium judicium*, ac fere perpetua *hesitatio*, apud eund. *Tacit. l. c.* seu, ut Itali vocant, *irresolutio*: qua factum est, ut in difficilioribus negociis ferè semper fluctuaret animo, nec quidquam certi secum posset constituere. Cujus rei egregium specimen exhibet consultatio ejus de evertendo *Sejano*. (3.) *insita cunctatio & mora*, apud eund. *4. Ann. 11, 3.* add. *c. 71, 4. & c.* (4.) *occultum pectus*, ap. eund. *4. A. 52, 5.* & illa *ιδιωτικὴ φύσις* five *singularis natura*, *Dioni* subinit. *libri 57.* descripta, studiumque omnia sua occultandi dissimulandique: de quo plura, cum ad artes ejus perveniemus. (5.) *obscuritas sermonis ac vultus adversus omnes alios*, ap. *Tacit. 1. A. 33, 4. & 4. A. 1, 4.* Quippe ei, in rebus etiam quas non occuleret, seu naturâ, sive adsuetudine, suspensa semper & obscura verba: nitenti vero, ut sensus suos penitus abderet, in incertum & ambiguum magis implicabantur, *1. A. 11, 5.* add. *4. A. 31, 3. 13. A. 3, 5. & Sueton. c. 24, & 70.* Adeò ut nollet intelligi, nec sine periculo intelligeretur: vid. *Dio l. c. Tacit. 1. A. 11, 5. & 6.* itemque *2. A. 42, 6. 4. A. 71, 3.* Quanquam interim subinde, aut subito depressus, & *improvise interrogatione percussus*, aut ira exarscens, aut denique invidia flagrans, sensus suos inconsulto prodidit. vid. *Tacit. 1. A. 12, 3. 3. A. 69, 4. 4. A. 17, 2. c. 52, 3. & 5. Sueton. c. 54.* Pertinet huc, & *sermonis brevitatis*, qua plerumque

ute-

v. Brochm. l. e.
c. 3. p. 252 sqq.

Suet. c. 68.

Suet. c. 18.

Suet. c. 57.

Tac. l. A. 4, 3.

utabatur, nisi cum mentem suam tegere & velare cuperet. Tum enim ferè longiori verbosaque oratione utebatur. Item, quod plerumque tacitus incedebat, nullo aut rarissimo, etiam cum proximis, sermone, eoque tardissimo. Quæ omnia haud dubiè partim ab anxio, & perplexo ejus ingenio, lentaque & cunctabundâ naturâ, partim à singulari dissimulandi studio, proficiscebantur. (6.) *morum diritas, sive acerbitas ac intolerantia*, quam Augustum in eo animadvertisse ac improbâsse, Suetonius refert. Ab hac fuit, quod tanto studio, quippe difficillimæ naturæ suæ gnarus, humanitatem ac comitatem ultra modum simulabat; quod voluptates multas & cœtus hominum fugiebat, &c. vid. Tacit. l. A. 4, 4. A. 57, 2. 6. A. 1, 2. & Sueton. capp. 10. & 40. (7.) *insignis pervicacia*, cujus egregia specimina habes apud Tacit. l. A. 47, 1. 2. A. 38. 1. 6. A. 23, 4. Sueton. c. 10. &c. (8.) *nimia sui confidentia*. Semper enim sui arbitrii, contentusque se uno fuit. Quam benè, infra, ubi de solœcismis ejus politicis, dicemus. (9.) *impudentissimus animus*, apud Suet. c. 24. (10.) *Invidia, & studium obtrectandi*; apud eund. c. 52. 53. 54. Dionem lib. 57. p. 617. & l. 58. Tacit. l. A. 14, 2. & c. 52, 1. c. 80, 3. 4. A. 17, 2. cap. 25, 2. &c. (11.) *seva ac lenta natura*, quæ nec in puero latuit; aliquanto magis vero in Principe eluxit, etiam inter initia, cum adhuc favorem hominum moderationis simulatione captaret. Indicia multa, passim, etsi premerentur, erumpentia, collegit Bœclerus Comment. ad Tacit. l. Ann. 4, annot. 4. exempla, inter alios, Suetonius c. 57. seqq. (12.) *animus in iram præceps, & condens ac revolvens iras, atque implacabilis, quique nec interjectum temporis leniri ac mitigari poterat*. vid. Tacit. l. A. 12, 6. c. 13, 5. & 7. 2. A. 28, 3. A. 51, 3. 4. A. 21, 2. 6. A. 38, 2. c. 50, 4. &c. Nisi quis intrepido animo, oreque libero, se illi opponeret; ut docent exempla apud eund. Tacit. 2. A. 34. & 35. 4. A. 9, 1. &c. Dion. l. 57, & 58. v. Brochman. specim. Meth. histor. c. 3. p. 312. sq. (13.) *suspicax animus*, apud eund. Tacit. l. A. 62, 3. adde l. A. 7, 8. c. 13, 1. & 3. c. 14, 2. c. 74, 3. 4. A. 41, 1. c. 67, 5. &c. (14.) *arrogantia ac superbia, insita Claudie genti*; quam non in factis tantum & animo, sed etiam in sermone ac vultu deprehendere erat. vid. Tacit. l. A. 8, 6. c. 10, 9. c. 33, 4. c. 73, 6. 2. A. 63, 4. c. 88, 2. Sueton. c. 68, &c. (15.) *ambitio in poste-*

posteror, seu famæ posthumæ studium, ap. Tac. 6. A. 46, 3. nec minus famæ, se superstitè, cupido. v. 4. A. 40, 2. (16.) Proclivitas ad libidines, præsertim secretas. Ad Suet. c. 43. seqq. Tac. 1. A. 44. 6. A. 1, 3. & 4. c. 46, 6. c. 51, 6. & c. (17.) Nimia vini cupiditas, ac in cibo potuq; capiendò intemperantia, de qua Suet. 6. 42. 66. 72. & c. Sed de his partim plura mox, cum vitia Ejus enumerabimus. Hic enim, ut diximus, tantum signandæ breviter notæ ingenii Tiberiani erant.

§. XXI. Aliâ ratione homines, prout ingenio utuntur, in Bonos, Malos & Mixtos sive Ambiguos dividi solent. Quorum postremis (de quibus videndi Piccartus observat. historico-polit. decad. 1. c. 8. Forstnerus ad Ann. 3. Tac. p. 268. Bæclerus in Comm. Nepotis pag. m. 45. seqq. & Brochm. lib. cit. cap. 1. p. 74. seqq. & c. 4. p. 356. seqq.) Tiberium accensere videtur Dio, cum eum multas ^{lib. 58. extr.} quidem virtutes, sed & multa vitia habuisse, ac utrisque sic usum fuisse, ait, ac si solæ aut hæ aut illæ in eo fuissent: & quodammodo Tacitus, cum incolumi matre, inter bona malaque mixtum fuisse, ^{6. A. 51, 6.} scribit. Horum judicium & Piccartus sequitur d. l. Nos ita existimamus. (1.) ex regula quidem Asinii Pollionis, apud Senecam ^{Suasoria 7. sub fin.} Rhetorem, quando mortalium nulli perfecta virtus contigit, quæ major pars vitæ atque ingenii stetit, ea judicandum de homine esse. (2.) attamen nullum ingens in aliquo vitium reperiri, quin aliorum ingentium multorumq; vitiorum agmen secum trahat; magnisq; cum vitiis nullas solidas virtutes coherere: adeoque si libidines, crudelitas, dominationis effræna cupido, injustitia, perfidia, fraudes, ^{vid. Brochm. d. cap. 4. p. 359. seqq. Bæcler. l. c. p. 58.} ambitio, insolentia, & fons ceterorum, quæ plura nominari queunt, impietas, numinisq; & conscientie vel neglectus, vel fidei simulatusq; cultus; si, inquam, horum vel unum, vel aliqua, in viro principe, magnisq; rebus admoto, deprehendantur, nullum in eo bonæ menti locum esse, & quicquid adstruas de reliquo laudis, nihil proprium, nihil suum, nihil verum habiturum. Nam ingentia illa vitia, corruptum omnis officii boniq; moris fontem, satis arguere. Itaque (3.) ut reliquos inter virtutes vitiaq; mixtos, quos Historici, vulgi magis ^{v. Brochm. c. 1. p. 74.} in judicando ac loquendo morem, quam ipsius naturam rei, aut ipsorummet judicium, sequentes, tanquam in equilibrio collocare subinde solent, ita & Tiberium, in numerum vitiosorum referre,

D

nulla

nulla nobis religio est: tantoque minus, quod non uno aut altero ex vitiis illis, quæ recensuimus, sed plerisque omnibus, inquinatus fuit. Etsi interim, subinde quasdam virtutes, easque egregias, admiscuit, seu potius simulavit.

Suet. c. 26.

Suet. v. 11.

Diō lib. 56. p.
608. seq. & ex
eo Iohann. An-
thoenus in Ex-
cerpt. Peiresc.
p. 801.

Diō l. c. Suet.
v. 29. 32.

Tac. 5. H. 1. 2.

Cicero 2. offic. 14

v. Rlutareh in
Demetrio p. m.
100.

§. XXII. Sed age ipsas *virtutes* ac *vitia*, quibus inclaruit, (hanc enim *quintam* dissertationis nostræ *partem* fecimus) breviter, *Suetonii* præsertim ac *Dionis* vestigiis insistentes, enumeremus. Inter *VIRTUTES* igitur primo loco se offert *Humanitas* ac *Benignitas erga omnes*: quam ante adeptum Principatum, & inter eius initia, quando *civilem admodum, ac paulo minus quam privatam*, egit, largiter ostentavit. In eâ describendâ satis copiosi sunt duo scriptores modò laudati: cum referunt, *Tiberium*, quo tempore in *Rhodo Insula* exulabat, *mutua cum Græculis officia* propè *ex æquo usurpasse*, *ægros visitasse*, & cum ministris in exsequendis, quæ iusserat, errassent, *factum etiam tenuissimo cuique & ignoto excusasse*: inter initia verò Principatus, & dum *Germanicus superstes* erat, *ad congressus & alloquia valde facilem se præbuisse*; cum amicis, *perinde ac privatam, versatum familiariter*; eosque *& in iudiciis defendisse*, & cum sacra facerent, *una festos egisse dies*, & *ægrotantes, nullo satellitum comitatu adducto, invisisse*: etiam in funere cuiusdam *funebrem orationem habuisse*: *matrem quoque adhortatum ad hæc eadem peragenda quantum ejus decorum pateretur*: præterea *magistratus quovis tempore, tanquam si in populari imperio viveret, honorasse*: etiam *consulibus adsurrexisse, ac decessisse via*; cumque eos convivio acciperet, *ingredientes apud januam excepisse, abeuntesque comitatum*: quorundam *illustrium exsequias usque ad rogam frequentasse*: denique in appellandis venerandisque *singulis & universis, prope excessisse humanitatis modum*. Nôrat scilicet, quemadmodum in omni Reip. statu, sic imprimis in novo ac nondum firmiter stabilito Principatu, comitate opus esse. *Comitate enim & alloquiis militum ac subditorum officia provocantur*: & difficile dictu est, *quantopere conciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis*. Hæc multis regnum peperit; pluribus servavit: at omissa, haud paucos eo exuit; in his *Demetrium Poliorcetem, Macedoniae, ac pæne totius Asiae, regem*. *Indignissime enim ferebant subditi ejus difficiles*

ciles ad eum aditus; quippe aut non dabat accedendi sui facultatem, aut colloquentibus durum se morosumque prebebat. Cumque in quadam profectioe oblatus sibi à concurrentibus scriptas petitiones & chlamyde involutas, post, excussa chlamyde, omnes in fluvium abjecisset, graviter eo facto Macedonas offendit: qui jam non regi se, sed ludibrio haberi credebant.

§. XXIII. Cæterum quia nimia in appellandis venerandisque singulis & universis facilitas, (quâ Tiberium usum fuisse ait Suetonius) modumque excedens humanitas, facile in contemptum vertere, aciesque adeò autoritatis regie hebescere solet; Princeps, ne ut truncus inter ranas sedeat, gravitate prudenter eam temperabit; curabitque, ut subditi ament se pariter ac timeant; ament ob humanitatem, timeant propter auctoritatem. Variè quoque comitatem adhibebit aut omittet, minuet aut intendet, prout locus, tempus, & imperii, nationumque ac hominum, conditio suadebunt. Comiorem enim, e.g. præbebit sese privatim, & in venatione, atque in campo, quam inter solennitates publicas: erga plebejos, quam erga proceres: in novo imperio & Principatu adquisito, quam in hæreditario, & longâ annorum serie stabilito: denique erga nationes humanitati adsuetas, (qualis Gallica, quæ vix sine tumultu ferat nimiam Regis sui gravitatem;) quam erga Hispanos aliosque regio fastui pridem adsuefactos, &c. De quo plura, nec in eleganter, Pius Mutius Consider. 197, supra Tacitum, Did. Saavedra in Ideâ Principis Christiano-politici, symbolo 39. Lud. Caracciolus in Principe politico lib. 5. cap. 3. & plures alii.

§. XXIV. Humanitatem Tiberii excipit Ejus Generositas in spernendis adulationibus. Oderat enim adulationem, ac adeo averfabatur, ut neminem Senatorum, immò ne equitem quidem ex illustrioribus, aut officii aut negotii causa ad læticiam, si quando ea gestaretur, admitteret, aut comitari se sineret: consularem vero, satisfacientem sibi, ac per genua orare conantem, (Quintum Haterium fuisse, de quo Tacitus 1. A. 13, conjicit Pighius Tomo 3. Annal. Roman. pag. 544.) ita suffugerit, ut caderet supinus. Nec oderat tantum; sed in adulationem lapsos cohibebat ipse; ac si quid in sermone, vel continuâ oratione, blandius de se diceretur, non dubitabat

D 2

inter

e. 22.

Tac. 2. A. 87. 3.
Suet. 27. Dio 57.
p. 609.

Tacit. 4. A. 6. 2.

interpellare, ac reprehendere, & commutare continuo. Exempla habes apud Sueton. c. 27. Tacit. 3. A. 47, 5. & c. 59, 2. coll. cum c. 57, 1. 3. A. 65, 2. 3. Ac memoria proditum est, eum adeo temporum suorum infectorum, & adulatione sordidorum, tamq̄ projecta servientium patientie, tēduisse, ut quoties curiā egrederetur, Græcis verbis in hunc modum eloqui sit solitus: O HOMINES AD SERVITUTEM PARATOS. Immo quandoque severè in adulantes animadvertēbat. Exemplo est Junius Gallio, qui meditata adulationis hoc pretium tulit, ut ab eo violenter increpitus, statimq̄ curiā, deinde Italia exactus; & quia incusabatur facile toleraturus exilium, retractus sit in urbem, custoditusque domibus magistratum. Quod exemplum si hodie Principes imitarentur, profecto non adeo numerosa adulatorum quotidie congeries accresceret; qui libentius cum fortuna Principis, quam cum ipso Principe, loquuntur; quibusque malum non aliam ob causam bonum est, quam quia Principi sic videtur. Summo itaque studio ab hac insita Aularum peste Principes cavere sibi debent. Minus enim periculi ipsis ab armis hostium est, quam ab adulatorum blanditiis. Regum opes sæpius assentatio, quam hostis evertit. Sic Nero, postquam cuncta scelerum suorum pro egregiis accipi vidit, magis ad illa se dedit. Ut non malè adultores cum canibus Actæonis, eum à quo alebantur devorantibus, comparari possint. Viden- di Lips. not. ad 3. polit. 5, 4. ac ad 3, 8, 13. Chokier lib. 4. thes. Aphorism. polit. c. 3. Boxborn. Emblem. polit. 4. Sprengeri Tacitus Axiomaticus lib. 2. c. 17. Anton. de Guevara in Horolog. Princip. in proe- mio special. ad D. Carol. V, Canonherius disc. in Tacit. p. 148. Drexelius in Orbis Phaëtonte, Did. Saavedra symb. 48. & c.

XXV. Sequitur nunc Tiberii justitia. Cujus quantum vindicem ac patronum se venditarit, elucet ex hoc, quod magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat consiliarium, assidebatq̄ mistim, vel ex adverso in parte primori: & si quem reorum elabi gratia rumor esset, subitus aderat; iudicesq̄ aut è plano, aut è Quæstoris tribunali, legum & religionis & noxæ, de qua cognoscerent, admonebat. Imo ut senator & iudex, non ut Princeps, causas audire solebat. Exempla justitiæ ejus alia suppe- ditabit Tacit. 3. A. 8, 2. c. 12, 5. seqq. 4. A. 6, 3. c. 7, 1. c. 15, 4. 5. & c.

Discant

Sueton. c. 33.
add. Dio lib. 57.
p. 606 Tacit.
1. A. 75, 1. & c.

Vollej 2. 129, 2.

Discant hoc exemplo Principes, quam necessarium illis sit, justitiæ operam dare. Præcipuum enim omnium regnorum fundamentum est inviolabilis hujus virtutis custodia. Quam in rem præclarum est Tiberii Constantini, jam jam morituri ad Mauritium generum suum monitum; *sit tibi, inquit, imperium cum hac puella filia concessum; utere eo feliciter, in mente habens, justitiam præcipuum esse optimi Principis insigne.* Plura in hanc rem Lips. 2. polit. 10. & 11. Chokier. 2, 1. seqq. Saaved. Symb. 22. Vernul. Instit. polit. l. 1. Tit. 12. quæst. 1. seqq. Hieronym. Imhoff Singul. Polit. ratione status 37. & infiniti alii. Nam cui non dicitur Hylas?

v. Aimoin. de reb. Franc. 3, 35.

§. XXVI. Ita autem observetur *Justitia*, ne negligatur *Æquitas*: ne crudelis potius, quam justus, Princeps videatur. Cuius etiam Noster illustre specimen dedit, dum *L. Enniam Equitem*, à *Senatu Majestatis postulatum*, quod effigiem Principis promiscuum ad usum argenti vertisset, recipi inter reos vetuit. Nec enim singula secundum rigorem juris sunt exigenda; sed sapius *pœnitentia* Principes contenti esse debent. Alia æquitatis ac moderationis Tiberianæ exempla suggeret Tacitus 3. A. 51, 2. c. 69, 1. & 4. A. 30, 1.

Tacit. 3. A. 70, 2.

Tacit. Agricol. 20, 4.

§. XXVII. Progrediamur nunc ad *Clementiam* Tiberii, virtutem illam maximè imperatoriam. Nullum enim ex omnibus magis, quam Reges ac Principes, deceat. In cuius rei signum & Princeps ungi solere, ut scilicet aliis sint clementiores ac dulciores, testatur *Jodoc. Clichtoveus c. 14. de verâ Nobilit.* Hæc Principes amabiles, firmos atque illustres facit. Ad *Lips. lib. 2. polit. c. 12.* Præcipuè verò *novum imperium inchoantibus utilis est clementie fama.* Quod probè Tiberius observavit; quippe qui non solum subinde clementem sese sub initia imperii sui præstitit: (exempla habes apud *Suet. c. 28. & Dion. 57. p. 608.*) sed etiam *adversus convitia, malosq; rumores firmus ac patiens, crebrò in familiari sermone jaclabat, IN LIBERA CIVITATE LINGVAM MENTE MQUE LIBERAS ESSE DEBERE.* Simili patientiâ & Julius Cæsar, Augustus, ac Vespasianus, & inter Græcos Timoleon, fuerunt. De quo vid. *Suet. Cæs. c. 75. Aug. c. 51. & 54. Vespas. c. 13. & Cornel. Nepos 20, 5, 3.* Sed de hoc

Senec. 1. d. clement. 3.

Tac. 4. H. 63, 2. add. 11. A. 9, 2. & Ammirat. ad Tacit. 20, 7.

Suet. c. 28. add. Tac. 2. A. 50, 2. 3. A. 10, 4. c. 44, 4.



Tiberii arcano dominationis plura fortasse suo loco. Interim videri possunt *Gruterus disc. 56. ad Tacit. Lentulus in Arcan. regnor. cap. 13. quest. 1. & Clapmar. 6. Arcan. reip. cap. 11.*

§. XXVIII. Porrò cum Clementiam commendamus, non excludimus ab illa omnem *severitatem*. Quæ præsertim in hereditario, & legum severitate jam stabilito imperio, ac sub initia ejus maxime, adhibenda est. Nam, ut graviter filium suum monet *Jacobus, Angliæ Rex, lib. 2. Institut. regia pag. mihi 70. & 71. si initio clementiam palam venditas, & tui contemptus, & scelerum cumulus eum in modum excrescent, ut cum ad puniendum accedere velis, Nocentum immensitas innocentium paucitatem longe superet: neque facile tibi erit definire, unde exordium sumendum fiet.* Idque mox suo exemplo confirmat. Nam cum lenioribus, inquit, *principiis omnia prætexere in animo haberem, ut facilitate & clementia omnium animos ad obedientiam pellicerem, contrarium mihi prorsus usu venit: & nullum aliud, quam populum ingratum, imperium dissolutum, lenitatis meæ premium reportavi.* Talem Principem, in quo nempe clementia ad vitium usque proluxa fit, artificiosè sub persona Melandri depinxit vir ingeniosissimus *Jo. Barclajus in Argenide.*

p. m. 8. 9. 118.
397. & seqq.

§. XXIX. Non absre fuerit h. l. disquirere, *num Principes in se dicta vel scripta justâ severitate punire debeant?* Equidem negari nequit, si aliqua loquendi licentia subditis permittatur, animos eorum nudari, & quid in reip. administratione probent, quid improbent, quæ ministrorum vitia carpant, quæ remedia hisce malis adhibenda censeant, innotescere. Quarum rerum cognitionem Principi conducere, in aperto est. Quem in finem etiam summi Principes, mutato habitu, per urbes ac pagos circumvagati fuere, ut hominum de se judicia ipsimet audirent ac intelligerent. (Etsi hæc res periculo non caret; ac proinde merito ab *Illustri Forstnero* improbatur.) Ita enim nonnunquam assentatoribus sunt circumfessi, aut fortuna sua ebrii, ut rarò sua, vel suorum ministrorum, vitia cognoscant. Cognoscerent autem, si hæc libertas loquendi non impediretur. Verùm tamdiu hanc licentiam probamus, quamdiu se à verbis acerbioribus & injuriis abstinet. Qui vero solâ libidine detra-

est. ad Tac. A.
11. p. 150.

detrahendi, dictis aut scriptis temerariè in Principum famam
 gressantur, hos tantum abest ut in rep. benè instituta feren-
 dos putemus, ut etiam severissimè in eos animadvertendum
 esse censeamus. Omnis enim magna & legitima potestas, o-
 mniaque sceptrà, sancta ac venerabilia subditis esse debent.
 Cumque Principibus nihil magis fugiendum sit, quam quod
 contemptum secum trahit; hujus generis hominum petulanti-
 am coërcendam esse, nemo non videt. Si enim cuivis impune
 maledicere liceat, non solum in loquentium, sed etiam in au-
 dientium animis sensim ingenerabitur mala quædam de Prin-
 cipe opinio; minusque eum revereri incipient, postremò &
 contemnent. Præterea si nimium ad tales contumelias Prin-
 cipes conniverent, non clementiâ, sed conscientiam malâ id fe-
 cisse eos, vulgus crederet. Nec movemur eo, quod objicitur;
 sufficere Principibus posse, si bonâ conscientia nitantur. Potest
 enim fieri, ut neque hoc à vulgo credatur. Plus enim apud
 plebem, quod extra apparet, quam quod intus inclusum latet,
 valere solet. Vide omninò *Forstner. in not. ad 1. A. Taciti. p. 77.*
Albericum Gentilem in disput. ad Tit. C. si quis Imper. maledix. &
Scipionem Gentilem sub fin. lib. 2. de conjurationib. Atque adeo fa-
 nè id verum est, ut non dubitemus affirmare, eadem severitate
 Principibus etiam, quæ in suos proceres ac ministros præcipu-
 os acerbè dicta aut scripta sunt, punienda esse. Causam red-
 dit prudentissimus scriptor, *Grammondus*: qui, postquam nar-
 rasset, multos fuisse ad necem raptos ob carmen Satyricum in
 primum Aulæ Ministrum, *Luynæum*, scriptum: *Certe, inquit,*
coërceri debet scribentium procacitas, dum plerumq; invidiosè pri-
mo Aulæ ministro obganniunt per maledicta, que per sæpe Rex, et si
maximè laudatur, maximè petitur. Eorum quoque crimen, qui
falsa & impudica adversus parentes aut progenitores suos sive scri-
pta sive maledicta disseminant, inter ea que veniam non merentur,
 Principi habendum, docet paullo ante laudatus *Rex Angliæ lib.*
ejusd. pag. 72. & seqq.

l. 3. Hist. Gal.
 p. 200.

§. XXX. Post Clementiam Nostri locum *Abstinentiæ ab a-*
lienis opibus assignamus. *Satis enim firmus adversus pecuniam*
 fuit: adeo quidem, ut neque hereditatem cuiusquam adierit, nisi

Tacit. 3. A. 18. 2
 Dio 57. p. 614
 Tac. 2. A. 48. 2a
 ami. & 4. A. 20. 1.

Suet. 33. Dio
57. p. 608.

part. 1. singu-
lar polit. Ra-
tion. status 8.

Sprenger. in Bo-
no Princip. axi-
om. stat. 9.

amicitia meruisset: ac serò demum prima eius erga pecuniam alie-
nam diligentia deprehensa sit. Presidibus quoque, onerandas
tributo provincias suadentibus, ac sigillatim Emilio Recto, Ægy-
pti provinciam obtinenti, cum is pecunie maiorem constitutâ
summam misisset, rescripsit, *BONI PASTORIS ESSE, TONDE-
RE PECUS, NON DEGLIBERE*, seu, ut Dio effert, se oves
suos tonderi, non ad vivum usque radi velle. Quæ verba meren-
tur, ut non chartis, sed magnatum cordibus custodiantur.
Plurimi sanè Reges ac Principes, si saluberrimum hoc dictum
in intimum pectus admisissent, non tot ludibria fortunæ faciem
vertenti debuissent. Quot enim, bone Deus, populi ob ni-
mias exactiones Dominis suis recalcitrasse leguntur? Ut uni-
cum exemplum ex infinitis, sed notatu maximè dignum ac re-
cens, adducam; de Carolo I, gloriosissimæ memoriæ Magnæ
Britanniæ Rege, sic scribit Hieronymus Imhoff: *Quæ, quæso,
causa, quod maxima pars Anglorum tanto odio prosequuta est suum
Regem? Certè, ut maxima fidei scriptor refert, præcipua causa non
fuit illa, quæ vulgo circumfertur, amor veteris religionis, quam im-
mutare voluisse Regem Angliæ contendebant. Postrema, eaque ta-
cita, causa fuit hæc: NIMIA REGIS IN COLLIGENDO AU-
RO AVIDITAS, ET SUBINDE NOVIS TRIBUTIS EXAGI-
TATA POPULORUM PATIENTIA.* Anxius enim Rex de
gravissimo ære alieno, quod partim pater Jacobus, partim ille ipse, ex
causa Rupellanorum & Expeditionis suæ Hispaniæ conflaverat, cum
illî eluendo succurrere subditos iussit, iiq; voluntariis collectis parui-
issent, Rex illa extraordinaria onera postea cœpit mutare in annua
& perpetua. Et sic odia nobilium & populi subito incurrit: quæ cum
exciperet innovandæ religionis opinio, illam mortem, quam tota
Europa adhuc meritò luget, infelicissimè sibi attraxit. Galliam
quoque, circa idem tempus, eandem rem non parum turbasse
novimus: nec aliud eam hodie, in mediâ pace, quam novi ve-
tigalis exactio, inquietat. Rectè vulgus assimilatur Camelo,
qui si pondus æquo gravius est, illud dejicit. Hebræi, etsi in Æ-
gypto gravissimam servirent servitutem, in victus tamen & re-
rum necessariorum abundantia facile obliti sunt libertatis.
Postquam vero, ineffabili Dei potentia, Ægyptum egressi, Palæ-
stinam

stinam versus per loca vastissima iter facerent, ac initio panis; mox aqua, denique carnes deficerent; subinde durissimum servitutis jugum & ollas *Aegyptias* optare non dubitaverunt. Appositè celebris Scriptor Italus, *Virgilius Malvezzius*: *E' da notare*, inquit, *che gli huomini si moueranno più per priuato interesse, che per publica utilità: e che ogn' uno ha più caro d' esser seruo & ricco, che pouero & libero.* Plura in hanc rem *Saavedra Symbol. 67. Lips. 4. pol. 11. 47. & seqq. Carolus à Grotnitz, Nobilis Pomeranus peregrinatione & civilibus studiis illustris* (is enim auctor esse fertur elegantissimi libelli) *observat. polit. 2. super numeris Gallia motibus, Forstner. not. pol. ad Ann. 4. Tac. p. 392. & seqq. Henning. Arnif. 1. polit. 11. & passim Scriptores politici alii.*

§. XXXI. Neque solùm alienis opibus abstinuit Tiberius; sed &, sextò, *Liberalitatis ac Munificentiae* egregia documenta dedit. *Maximam enim opum vim, cum in urbes, tum in privatos homines expendit: eroganda per honesta pecunia cupiens; eamque virtutem diu retinuit, cum ceteras exueret.* Quæ & imperium ei, iudicio viri civilis prudentiæ peritissimi, *Did. Saavedra*, conservavit. Omnes quidem homines liberalitas decet, (quippe qua nihil est nature hominis accommodatius;) maxime tamen Principes. Præclare *Cicero*: *Frugi hominem dici, non multum habet laudis in rege: fortem, justum, severum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ sunt regie laudes: illa privata est.* Minimeque barbara vox fuit barbari Regis ad Romanum ducem: *Regem armis, quam munificentia vinci, flagitiosum minus.* Hac virtute *Cæsar Julius* maxime inclaruit: quippe qui *beneficus ac munificentia magnus habebatur, qui dando, sublevando, gloriam adeptus est.* Hæc *Augustus* militem ac populum pellexit. Quidni sequeretur igitur Tiberius? Neque enim ignorabat, sibi quoque ad tuendum imperium amore subditorum cum primis opus esse: *benevolentiam autem sibi conciliare, qui liberalitate utuntur.*

§. XXXII. Quam multipliciter autem, quamque constanter, hac virtute usus sit, commodissima erit declarandi via, si ipsas ejus largitiones, tanquam felices partus nobilissimæ matris, liberalitatis, consideremus. Exseruit illa sese (1.) *edificia*

E

ab

Dio 57. p. 608 ab Augusto inchoata, necdum absoluta, perficiendo; omniaque pro-
pemodum publica opera aut reficiendo aut exornando. Quâ re
non solum magnificentia Principum augetur, sed cives quo-
que ad varias artes excolendas invitantur; pauperibusq; pluri-
mis victus paratur. Vid. Forstner. ad Annal. 3. Taciti p. 309. (2.)

Ioann. Antioch.
in Exc. Peiresc.
p. 801. Vell. 2.
126, 4.

magnam vim pecunie in instaurationem urbium impendendo; for-
tuitaque earum damna munificentia sua vindicando. Sic cum
multae ac celebres civitates Asiae (XII numerant Seneca 6. Natur.
quest. 1, Plinius 2. Nat. Hist. 84, Tacitus 2. A. 47, 1. Solinus c. 43;
sedecim, Eusebius Chronico num. 2034, quattuordecim, Nicepho-
rus:) nocturno motu terra collapsae disiectaeque essent, suo sumtu
eas rursus erexit (ιδία δαπάνη πάλιν ἀνώρθωσεν,) propriaque libe-
ralitate sublevavit ac restituit: Sardinianis, in quos asperissima lues
fuerat, centies sestertium pollicitus. Et, quantum arario aut fisco
pendebant, in quinquennium remittens; reliquis etiam, prout
quique propiores damno erant, pecuniâ, aut tributorum in-
tempus levatione adjutis, missoque ex Senatu, qui praesentia specta-
ret, refoveretque. Testes ejus rei Phlegon Trallianus lib. de mira-
bilibus, pag. m. 81. Tacitus 2. A. 47. Dio l. 57. p. 614. Vellejus 2, 126.

Tacit. 4. A. 13, 2

Suetonius c. 48. Orosius 7. histor. 4. Civitati quoque Cibyratice a-
pud Asiam, Egirensi apud Achaïam, motu terra labefactis, ut re-
missione tributi in triennium subveniretur, senatusconsulta eo au-
ctore facta.

Tac. l. c.

§. XXXIII. Exseruit se porrò Munificentia Tiberiana (3.)
fortuita civium, ac privatorum, damna vindicando, suâque pe-
cuniâ compensando. Ut cum Pio Aurelio senatori, questo mole
publicae viae, ductuque aquarum, labefactas aedes suas, pretium edi-
um; cum, deusto monte Caelio, damno adfectis pecunias ex modo
detrimenti tribuit: cum, Aventino, parteque Circi contigua deusta,
domuum Et insularum pretia dominis exsolvit. Adi ad Tacitum
1. A. 75, 2. 4. A. 64, 2. 6. A. 45, 2. & Suet. c. 48. (4.) Senatores mul-

Dio 57 p. 608.
Vellej. 2, 129, 3.

tos, ad paupertatem redactos, ob eamque veniam ordinis petentes,
quemadmodum & alios, nobili profapiâ ortos, locupletando,
eorumque censum, cum id senatu auctore facere potuit, libenter
explendo. Exemplo est Propertius Celer, praetorius, cui decies
sestertium largitus est; satis comperto, paternas ei angustias esse.

Tac. 1. A. 75, 3.

Ami-

Emilius item *Lepidus* & *M. Servilius*; quorum illi bona *Emiliae* Id. 2. A. 48, 1.
Muse locupletis intestata, petita in *fiscum*, quod e domo ejus vide-
batur; huic *Patulei*, divitis equitis Romani, hereditatem (quan-
quam ipse heres in parte legeretur) tradidit: nobilitatem utriusque
pecuniâ juvandam praefatus. Eratque, credo, & *M. Hortalus*
(de quo *Suet.* c. 48, & *Tacit.* 2. A. 37. & 38.) eandem munificen-
tiam experturus; nisi & loco ac tempore parum opportunis
opem ejus implorâisset, & inclinatio *Senatus*, ei faventis, incita-
mentum *Tiberio* fuisset, quò promptius adversarètur. Ut fortasse
nō satis causâ fuerit doctiss. *Piccarto*, cur *dec. 12. obs. polit. c. 9.* tan-
topere *Tiberio*, ob rejectas *Hortali* preces, succenseret. Præ-
sertim cum postea, animadverso duritiem suam quibusdam
Patrum displicuisse, pollicitus sit, si *patribus* videretur, daturum
liberis ejus ducena *sestertia* singulis, qui *sexus virilis* essent. Huc
& *sueti* *Ejus erga filios familiarum nobiles liberalitas*, *Tacito* com- 3. A. 8, 2.
memorata, pertinet: quodque honores nobilitatem majorum,
inter alia, spectando mandabat. quod, tanquam bene ac pruden- 4. A. 6, 3.
ter ab *Eo* factum, meritò laudat *Lipsius* in *not. ad 3. polit. 10, 4.*
Nempe optimi quique ac prudentissimi Principes, ne illustres
ac nobiles, & de rep. præclarè meritæ, familiæ, ex iisque pro-
gnati, opprimantur, aut ad inopiam redigantur, cum aliis mo-
dis, tum præcipuè largitionibus, & concessione sacrarum pro-
fanarumque, tam militarium, quam civilium, dignitatum, cau-
tè provident. Per eas enim non tantum dignitas ac splendor
reip. conservatur; sed etiam magna frequentia nascuntur, qui
majorum suorum gloriam propagare, generisque perpetuita-
tem ab interitu vindicare, summo studio conantes, aliquando
publicè bello paceque utiles evadunt. Qua de re est egregia
observatio *Piccarti* l.c. Præterea ultima nobilium egestas haud
rarò in desperationem abit, prolapsosque e magnis opibus in
extremam paupertatem, quod nullam sibi compositis rebus spem,
omne in turbido consilium esse, animadvertunt, ad res novas,
quibus se ab eâ vindicent, moliendas accendit. Exemplo est
Otho apud *Tacit.* 1. *Hist.* 21, 1. Ne de aliis nunc dicamus, quos
innumeros historiae suppeditant.

§. XXXIV. Eadem Munificentia & (5.) se exseruit, sæpius

E 2

po.

- 2, 129, 3. *populum congiariis, ut Vellejus loquitur, honorando. Exemplum habes apud Tacit. 3. A. 29, 3. (6.) hereditates, sibi ex testamento, aut fisco, debitas, cognatis defunctorum, aliisque, quibus eas concedi æquius videbatur, tradendo. Adeundi Dio l. 57. p. 614. Tacit. 2. A. 48, 1. & 2. &c. (7.) obærat, sive ære alieno afflictis, pecunias gratuito credendo. Sic cum, commoto simul omnium ære alieno, multi fortunis provolverentur, ac eversio rei familiaris dignitatem ac famam præcepit daret; Caesar opem tulit, disposito per mensas millies sestertio, factaque mutuandi copia sine usuris per triennium, si debitor populo in duplum prædiis cavisset. Raro sanè exemplo: cum plerique Principes mutuas pecunias sumere potius, quam dare; vix ullus gratuito proponere, quod Tiberio fecit, soleat. (8.) militi, qui in expeditione Germanica tempestate vexatus, jacturam bonorum fecerat, quantum quis damni professus erat, exsolvendo. quod pariter rarissimè fieri videas. Denique (9.) annonæ caritatem suâ pecuniâ sublevando. Nam Id. 2. A. 87, 1. *sevitiam annonæ incusante plebe, statuit frumento pretium, quod emtor penderet, binosque nummos se additurum negotiatoribus in singulos modios, promisit. Ac subinde, ne plebes acri annonæ fatigaretur, infecunditati terrarum, aut asperis maris (quo frumentum advehendum erat) obviam iit, quantum impendio ac diligentia poterat. Noverat enim, instar perpetui congiarii esse, affluentiam annonæ: hujusque aliquando curam Pompejo non minus addidisse gloriæ, quam pulsum ambitum campo, exactum hostem mari, Orientem triumphis, Occidentemque lustratum. Norat, annonam Augustum patrem populum pellexisse, ut jugum suum subiret. Vulgo scilicet una ex rep. annonæ cura est: nihil magis, quam rei frumentariæ angustias metuenti. Nam, ut Poëta canit,**
- duas tantum res anxius optat,
Panem & Circenses.*
- Id. 4. M. 38, 2. & Id. 4. A. 36, 6. Juvenal. sat. 10, 80.

Nullaque re facilius mansuefieri solet, quam si, industriâ suorum Principum, rerum omnium affluentia uti se, sentiat. Neque mirum: cum & leones, ursi, aliaque morsu & unguibus formidolosa animalia, deponant insitam feritatem erga patientem, pareantque imperanti, immò blandiantur. Contra ea, esuriens multitudo facile ad res novas moliendas impellitur. Quod,

Quod, ne vetera & pridem ab aliis congesta hinc repetamus, vel ea ostendunt, quæ proximis mensibus Cypri insulæ, & montis Libani incolæ, adversus Turcas, quamvis infeliciter, moliti dicuntur. Nec ulla re magis hodiernus Pontifex, Alexander VII, ejusque propinqui, Romanæ plebis odium sibi conflârunt, quam difficultate & angustiis annonæ, unde horum avaritia sua compendia captat. Quare, ut benè Cicero monet, *omnes qui rempub. gubernabunt, ante omnia consulere debebunt, ut earum rerum copia sit, quæ sunt ad vitam tolerandam necessariae.* Id quod agnovit Tiberius apud Tacit. 3. A. 54, 8. Itemque Cosmus Medicus: inter cujus præcepta præcipua, reip. regendæ Joanni Bentivolo, ad Bononiensium principatum dimisso, data, hoc primum fuisse dicitur: *annonæ curam sedulo ageret.* Quibus autem remediis annonæ caritas levare aut præcaveri possit, egregiè ac prolixè docent Ammiratus & Forstnerus ad Taciti 12. A. 43. Add. Hier. Imhoff parte 2. singular. polit. Rat. Stat. 38.

2. offic. 21a

Forstner, ad Annos
1. Tac. p. 109

§. XXXV. Porro cum *multas cautiones habeat liberalitas;* nec eas videtur Tiberius neglexisse. Nam (1.) non omnibus promiscue largitus est, sed *egenis & adflictis:* quod docent, quæ prolixè adduximus, exempla. Contra quam plerique Principes solent, qui fere plus iis largiuntur, qui jam ante pollent opibus. Deinde (2.) non eorum qui sua culpa inopes erant, sed *HONESTAM INNOCENTIUM paupertatem levavit,* h. e. eorum, qui fortunæ iniquitate ad egestatem redacti fuerant. Unde non nisi *adhibito examine locupletavit egenos senatores:* è contrario prodigos & ob flagitia egentes, movit senatu, aut sponte cedere passus est. Cumque Propertio Celeri decies HS. largitus esset, *comperto paternas ei angustias esse,* non luxu accersitas: tentantes eadem alios probare causam Senatui jussit. Ita ubique temperans munificentiam suam, ut neque luxuriam invitaret, neque *honestam paupertatem pateretur dignitate destitui.* Sed & (3.) modum in dando servavit. quò pertinet ejus oratio in Senatu, Hortalo opposita: In qua inter alia: *Si quantum pauperum est,* inquit, *venire huc & liberis suis petere pecunias cœperint, singuli nunquam exsatiabuntur, Respub. deficiet. Si erarium ambitione exhaurierimus, per scelera supplendum erit. Languescet industria,*

Cic. 1. off. 13.

Tac. 2. A. 48, 30

Dio 57. p. 608.

Tacit. 1. c.

Id. 1. A. 75, 4.

Vellej. 2. 129, 3.

Tac. 2. A. 38, 1.

3. 4.

stria, intendetur socordia, si nullus ex se metus, aut spes; & securi omnes aliena subsidia expectabunt, sibi ignavi, nobis graves. Dignissima Principe verba, & ex intimis reip. rationibus petita causa.

Id. 3. H. 86, 3. Senec. ep. 120.

Privatus, prolixè liberalis, ac non donans, sed projiciens, se tantum; Princeps, & se & subditos suos, ipsamque adeo rempub. perdit. Fitque interdum, ut, agnito quantum largitionibus coronæ suæ vires infractæ sint, successor illas revocare, non sine dedecore publico, cogatur. Neque minus (4.) proportionem in largiendo observavit: plus iis donans, qui magis egerent. Sic Sardonios, in quos asperissima lues plurimum in eosd. misericordie traxerat, plus quam reliquis civitatibus Asiæ, eod. terræ motu collapsis, est pollicitus. Et deusto monte Celio, dominis insularum qui deflagrarent, tribuit pecunias EX MODO DETRIMENTI. Neque (5.) opes per inhonestas profudit: sed per HONESTAS eroganda pecunia cupiens fuit: minime secutus illorum morem, quibus luxuria specie liberalitatis imponit: quique perdere sciunt, donare nesciunt. Quippe non ignorabat, ambitionem, & jaçantiam, & effusionem, & quidvis potius, quam liberalitatem, existimandam esse, cui ratio non constat.

Plin. paneg. c. 38, 4.

Porro (6.) sponte, & sine ambitione, aut proximorum precibus, ignotos etiam, & ultro accitos, (comperto, quod opus haberent) munificentiam suam juvit. Cumque sciret, bis dare, qui cito dat; sæpeque munificentiam Principis à ministris aut differri nimium, aut plane intercipi; itaque (7.) si quid alicui largiebatur, id confestim numerari se inspiciente jubebat; magna adhibita cura, ne idem sibi quod Augusto eveniret, cujus munerum permagnam partem dispensatores detrahere consueverant. Egregius profectò mos, & quem optandum esset, ut omnes Principes ac Magnates sequerentur. Ea vero omnia, quæ donabat, (8.) ex constitutis redditibus desumebat: non aliis eripiebat, quod donaret, (de quo genere hominum, proverbium Italorum est: Egli coupe un altar, e discoupre l'altro:) nec, quod multi Principes faciunt, novas idcirco exactiones imperabat: haud inscius, gratissimum esse accipientibus, (saltem bonis) si sciunt dari sibi quod nemini est ereptum, locupletatisque multis, pauperiorem esse factum Principem

Id. 4. A. 64, 2.

Id. 1. A. 75, 2.

Id. 1. H. 30, 2.

Tac. 4. A. 64, 3.

Dio 57. p. 608.

Dio l. c.

Plin. paneg. 27, 4.

pem

pem tantum: contra eos qui, cum dando egere coeperunt, alienis bonis manus afferunt, cum benevolentiae comparanda causa benefici esse velint, non tanta studia adsequi eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerunt. Denique (9.) ob largitiones & munificentiam neque honorem neque laudem admisit: adeo ut nec nomen suum publicis operibus, à se absolutis aut instauratis, inscribi voluerit. vid. Tacit. 2. A. 87, 2. & 3. A. 22, 2. itemque Dio lib. 57. pag. 608. Cic. 2. offic. 15. Dio 57. p. 614

§. XXXVI. Atque hæc de Liberalitate Tiberii dicta sunt: in qua declaranda vel idcirco prolixiores fuimus, quod vix ullius alterius virtutis plura documenta dedit, nec ullam diutius retinuit. Nunc, quod superest virtutum pariter & vitiorum, breviter expediemus. Sequitur igitur, septimò, *Fortitudo* Tiberii. *Omnis civitas*, inquit Polybius, duobus hisce continetur, lib. 6. c. 44. *fortitudine adversus hostes, consensu inter cives.* Quis igitur dubitet, Principes quoque fortitudinem bellicam cum primis & decere, & ornare. Nec enim ideo commissa illis reipub. administratio est, ut voluptate, opibus, otio adfluant, ut domi semper, quasi Sardanapali, delitescant, ut splendide vestiantur, venentur, ludant, equitent, saltent, aut alia ejusmodi jucunda sectentur: sed ut subditos contra vim hostilem, quoties opus est, fortiter defendant. Hujus virtutis tot ac tanta Noster, ante adeptum Principatum, documenta (*Vellejo* passim, *Suetonio* capp. 9. 16. 17. 18. & *Dioni* lib. 53. & seqq. recensita) edidit, ut non solum ab *Augusto*, (quemadmodum & supra §. 13. diximus) *vir fortissimus* & *dux maxime legitimus* sive *genuinus*; à *Vellejo* *ducum maximus*, *fama fortunaque celeberrimus*, *vindex custosque imperii*, & *praesidium militum*, appellatus; sed etiam qui paulò ante mortem *Augusti* imminentes dominos variis rumoribus differebant, *spectatum bello fasli* sint. Vell. 2, 99, 1. 8. 104, 2. c. 111, 2. Quanquam postea, *re-* Tac. 1. A. 4, 30 rum potitus, si *Aurelio Victori*, ac *Eutropio*, hujusque exscriptori apud *Suidam*, credimus, *ingenti socordia*, nusquam ipse pugnans, *bellaque per legatos suos sordide* & *oscitanter gerens*, effecit ut *solutis militiae artibus*, *pleraque juris Romani direpta*, nihilque præter *Cappadocas subactum* sit.

§. XXXVII. Ad Fortitudinem quoque, sed aliam ejus speci-

Tac. 3. A. 44. 4. speciem, pertinet ejus *altitudo animi* in spernendis rumoribus de Gallicarum civitatum LXIV defectione sparsis: quibus perceptis *tanto impensius in securitatem compositus, neque loco neque vultu mutato, sed ut solitum, per illos dies egit.* Itemque *firmitudo animi*, quam ostentavit, cum, Druso filio ægrotante, per omnes valetudinis ejus dies, nullo metu, etiam defuncto, necdum sepulto, curiam ingressus est, & effusum in lacrymas senatum, victo gemitu, oratione continua erexit, se fortiora solatia è complexu Reip. petivisse adfirmans. Tùm *Constantia in periculis*, animusque *offensionum pro utilitate publica non pavidus*: quæ duo sibi non defuisse, posteros credere volebat. Nempe quisquis ad sceptrum natus est, mutari non debet ad quemcunque eventum & casum. Nec ullum tam gravem aut acerbum ducat, ut ideò à seipso desciscat, aut personam quam sustinet, dissimulet. Ejusmodi in extremis quoque periculis magnanimitatem in gloriosæ memoriæ Principe, JOANNE FRIDERICO, Saxoniae Duce, ac postea Electore, & Academiae hujus conditore, etiam Hispanus, *Saavedra*, aliàs non ad modum æquis rerum ipsius æstimator, laudandam censuit. Nos pariter admiramur in CAROLO I, Magnæ Britanniae Rege martyre, quoties ad varios illos fortunæ fluctus, quibus agitatus fuit, ac præsertim ad ultima vitæ regnique ejus, animum convertimus. Comitabantur euntem milites, non ut averterent pericula, sed ut periculis & morti illum servarent. Dabatur sua ipsi domus pro carcere, quò atrocioribus dolorum stimulis regius animus pungeretur. Propinquorum solatio, quod neque privatis denegari solet, aut fortunâ, aut hostium malitiâ, aut periculorum illis imminentium metu, orbatus erat. Denique mors jamjam inferenda illi ob oculos versabatur. Et tamen in tanto undique confluentium malorum velut Oceano, instar præcellæ rupis, ad ultimum usq; vitæ articulum inconcussus stetit, nec à sede pristinae generositatis & constantiæ ullâ vi dimoveri potuit. Sed hæc obiter. Ad eandem Tiberii fortitudinem postremò & *Constantiæ ejus in tolerandis continuandisque laboribus*, ac negotiis publicis, referri debet. *Negotia enim pro solatiis accipiens nihil intermisit rerum curam*: adeò ut ne quidem ob mortē nepotis

Symb. 33.

Tac. 4. A. 13. 1.

potis aliquid eorum, quæ curare solitus erat, omiserit; quod nec
alioqui Principem decere duceret, ut propter adversos casus priva-
tos publicorum negotiorum curam negligeret. Quam longe ali-
ter animati sunt, qui, ne quid voluptatibus suis detrahatur, tan-
tum non omnem reipub. curam ad ministros & consiliarios
suos remittunt.

§. XXXIIX. Octavò laudanda quoque in Tiberio est Se-
veritas disciplina militaris, illud præcipuum decus & stabilimentum
imperii; de qua vere dixit Alexander Severus Imperator: si
delabatur, Romanos & nomen Romanum & imperium amissuros.
Id cum non ignoraret Tiberius, quoties imperatoris munus
sustinuit, disciplinam acerrime exegit, animadversionum & ignomi-
niarum generibus ex antiquitate repetitis; atque etiam legato le-
gionis, quod paucos milites cum liberto suo (contra disciplinam
Augusti, ut docet l. 12. D. de re militari) trans ripam venatum
misisset, ignominiam notato. Quæ severitas si hodie in nostris mi-
litibus (qui in tantam licentiam degenerarunt, ut vix ad vete-
rem disciplinam revocari posse videantur) adhiberetur, mini-
mè tot raptus, latrocinia, stupra, deprædationes, deflagratio-
nes audirentur, quæ nunc adèò invaluerunt, ut pæne inter for-
tia facta militaria habeantur. Sanè haud impossibile esse, eam
severitatem reducere, Alberti Wallensteinii, famosi superiori-
bus annis Ducis Cæsariani, exemplum ostendit: quem ingen-
tibus præmiis, & atrocibus suppliciis, rexisse maximos exerci-
tus; cuiusque dona nunquam infra mille scutatos, pœnas nun-
quam aut raro citra mortem constitisse, e Galeacio Gualdo refert
H. Forstnerus in not. ad Taciti ii. Ann. 18. p. 41.

§. XXXIX. Nonò Frugalitati quoque ac Parsimonie de-
ditus fuit Tiberius: cum quod natura in eam proclivis erat,
quod Suetonius indicare videtur: tum quod sciret, tantas vires
habere frugalitatem Principis, ut tot impendiis, tot erogationibus
sola sufficiat. Unde Tacito Princeps antiquæ parsimonie audit.
Ostendit autem frugalitatem hanc (i.) in vestitu & cultu cor-
poris. Edicto enim vetuit, ut neque ipse neque alius quisquam se-
rica veste uteretur, ornatumque aureum universum solis mulieri-
bus permisit. Testis Joannes Antiochenus in Excerptis Peirescia-
nis

F

nis

nis pag. 801. nescio quos auctores secutus. Nam apud Dionem,
quem aliàs sequi solet, nihil de ornatu aureo, nihil de serica
veste ipsi quoque Tiberio interdicta, habetur: etsi, ne quis ea
lib. 57. p. 612. uteretur, edixisse eum scribit. Quod etiam Tacitus tradit 2. A.
Suet. c. 34. 33. 1. (2.) in victu & conviviiis: In quibus ut parsimoniam publi-
cam exemplo quoque juvaret, solennibus ipse cœnis pridiana saepe ac
semesa opsonia adposuit, dimidiatumque aprum: affirmans, Omnia
eadem habere, quæ totum. Quod tamen fortasse nimis sordidum
fuerit: nisi proposito privatos exemplo suo ad parsimoniam
adliciendi excusetur. Pertinent huc, quæ de adhibendo supel-
lectili modo, annonaque macelli quotannis temperanda, nec operibus
loc. cit. 1. 57. p. 612. pistoriis proponendis venalibus, constituisse eum, Suetonius; de
vasis aureis, nisi ad sacra, non adhibendis, Dio tradit. (3.)
Tac. 4. A. 7. in modo familiæ statuendo. Nam modesta ei servitia; & intra
& c. 58. 1. paucos libertos domus erat. Cumque Roma discederet, jam Im-
perator, profectio arcto comitatu fuit: unus Senator Consulatus
functus, cui legum peritia; eques Romanus, præter Sejanum, unus;
ceteri liberalibus studiis præditi, ferme Græci, quorum sermonibus
levaretur. Ac ne numerus comitum nimium excreceret, co-
Suet. c. 46. mites peregrinationum, expeditionumque, nunquam salario, ciba-
riis tantum sustentavit. (4.) in privatis edificationibus, in quibus
Tac. 6. A. 45. admodum modicus: idque tanto acceptius in vulgum fuit. Mini-
Dio 57. p. 608. mos enim sumtus pro se, plurimos pro repub. faciebat, omnia prope-
modum publica opera aut reficiendo aut exornando. Idque recte.
Publicis namque structuris, si facultates ipsorum patiuntur,
Principes omninò civitates ac provincias suas exornare pos-
sunt, ac debent: modo necessaria aut publice utilia sint. Nam
quæ solius voluptatis aut splendoris causa exstruuntur, cum
tantum ad vanitatem aut subditorum afflictionem pertineant,
iis, si magno sumtu constituta sunt, melius abstinebunt. Vid.
Caraccioli Princip. politic. lib. 5. cap. 9. Chokier. thesaur. aphor. po-
lit. 5, 16 &c.

cap 33. §. XL. Neque, decimò, hîc prætereundum silentio est Stu-
dium utilitatis publicæ: quod in eo agnoscit Suetonius, cum ait
Principem paulatim exercuisse eum, etsi varium diu, commodio-
rem tamen sæpius, & ad utilitates publicas proniorem: jactavitque
ipse

ipse non semel in senatu, graves, & plerumque iniquas pro re & utilitate publica offensiones non pavidum se suscipere professus. Tac. 3. A. 54.
10. & 4. A. 8. 2.
Pulchra ejusdem vox ad eundem Senatam fuit, & Lipsio iudice, non sine numine concepta aut emissa: Dixi & nunc & saepe Monit. polit. 2.
17. 1.
alias, Patres Conscripti, bonum & salutarem Principem, quem vos tantam & tam liberam potestate instruxistis, senatui servire debere, & Suet. 6. 29.
universis civibus, saepe & plerumque etiam singulis. Nempe utilitas publica unice Principi respicienda: ad hanc, tanquam ad centrum & communem metam, concurrere debet, quicquid consilii, laboris, ac industriæ in hoc reip. circulo vertitur. Quod enim in homine cor, quod in corde vita, id in regnis ac rebusp. Salus publica est. Qua de re, inter alios, & post alios, plura Lipsius 2. polit. 6. & Gruter. disc. 1. ad Ta. it. Sed, proh dolor! quam frequenter tam sancto nomine subditi falluntur? Quoties salutem publicam unice crepant Principes, eorumque ministri, cum de solâ privatâ cogitant?

§. XLI. Sed nec (X) Sanctitas erga hostem acerrimum tacenda est, quam Tiberius non solum servavit, sed etiam jactavit. Refert enim Tacitus, scriptorum scrutatorumque (sic MS. Mirandul.) eorundem temporum fidem sequutus, Adgandestrii principis Catorum lectas in Senatu litteras, quibus mortem Arminii promittebat, si patranda neci venenum mitteretur: responsumque esse, non fraude, neque occultis, sed palam & armatum, populum Romanum hostes suos ulcisci. Quam gloria, addit Tacitus, æquabat se Tiberius priscis imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem venterant, prodiderantque. Et merito æquabat; duplici nomine laudandus. Primo quod veneno hostem interfici noluit. Id enim qui faciunt, non solum vili & abjecta fraude utuntur, quod Lipsio visum, sed etiam gentium, si non omnium, saltem cultiorum meliorumque, jus violant, a quibus fraus illa semper est inter illicitas ac turpes habita: ut ostendunt Piccart. observ. dec. 10, 10. Grotius 2. de J. B. & P. cap. 4. 15. Auctor Juris & Judicii Feccialis part. 2. sect. 10. quast. 3. ac ante illos, ingenti testimoniorum exemplorumque nube adducta, eruditiss. Jctus, Alber. Gentilis 2. de jure belli cap. 6. Quemadmodum & illos, qui hosti percussorem, fidei vinculo obstrictum ei, h. e. subditum, 2. A. 88. 1. 2.
5. polit. 17. 23.

Grot. 3, 4, 18.

aut vasallum, aut militem ejus, (addo ego, aut amicum vel federatum, qualis haud dubie Adgandestrius Arminio fuit:) immittunt, contra jus gentium pariter ac naturæ facere, cordatiores censent. Nam qui aliena vitur perfidia, violasse jus naturæ & gentium creditur. Perfidos autem esse, qui dominum, regem, seniore, ducem, amicum, aut federatum, hoc modo, & in gratiam hostis, interficiunt, nemo dubitaverit. Qua de re, præter scriptores modo laudatos, Grotium quidem, d. l. num. 18, Auctorem juris feialis quest. 4, Gentilem c. 8, videri possunt Ludov. Zuccolus in Discursib. politic. & moralib. considerat. 13, Ammirat. ad Ann. 2. Taciti disc. 13, Vernuleus ad eund. Annal. observat. 42, Clapmar. 5. Arcan. 7, Freinshem. Comment. ad Curt. 4, 1, 12, Forstner. not. ad Tac. ii. A. 19. pag. 46. &c. Deinde eo quoque nomine, & magis quidem, laudandus Tiberius, quod omnino non fraude neque occultis, hostes ulciscendos putavit. quod tamen, si perfidia absit, omninò licitum creditur. Generosi scilicet celsique animi (ut prælixè docent, quos modò laudavimus, scriptores) etiam licitas fraudes, si viles & abjectæ, sibi que minùs honorificæ sint, spernunt. quos haud dubiè Tiberius imitari voluit. Qui tamen in eo superatus est à priscis, quos laudabat, imperatoribus, quod illi venenum in hostem Pyrrhum non tantùm vetuerunt, sed etiam prodiderunt. quod planè excelsi animi est. quem & in Catharina Medicæa, Gallia superiore sæcu-

Henr. Davila l. 3. hist. bell. Gallic. apud Forstner. l. c.

P. Bembo extr. lib. 3. histor. Ven. pag. m. 127. & seq.

lo regina, animadvertere licuit. Ea enim centurionem, operam suam ad occidendum Andelotum, Cass. Colignii fratrem, offerentem, vinculis ligatum ad Andelotum remisit puniendum. Nostri verò Tiberii responso geminum est, quod sub finem sæculi Christiani XV Bernardus Bembo, Decemvirum apud Venetos magister, Tristano Saorniano, è Fori Julii principibus, offerenti hominem Epirotam, qui, si Decemviri vellent illi tantæ rei præmii aliquod statuere, Carolum IIX, Gallia regem (cujus reditum in Italiam Veneti metuebant) veneno tollere auderet, re ad collegium perlata, de collegii sententia respondit. Eiusmodi scilicet contra hostes insidiis ad eam diem nunquam usam fuisse rempub. cum sæpenumero potuerit: neque nunc velle incipere: magis Deos immortales, quam humanas opes, vereri: porrò vinci
ab

ab suâmet nequitiâ illos, qui per scelus alios vincere, perque nefas, parant. Quod cur inter eorum exempla, qui licitum volunt hostem veneno occidere, adleget Grotius, cogitatione adsequi non possum.

in not. ad 2, 4, 15.

§. XLII. Neque magis silentio involvenda est (XI) *Modestia* Tiberii: cujus indicio est, quod *validus spernendis honoribus, ex plurimis maximisque, prater paucos & modicos, non recepit.* *Exempla desideras? capesis è Tacito, Suetonio, Dione. Templâ, flamines, sacerdotes decerni sibi prohibuit; Immo nec in alio ullo coli se passus est: mortalem se esse, & hominum officia fungi, satisque habere, si locum principem impleat, testatus: ac satis superque memoria suâ tributuros posteros, ut majoribus suis dignum, rerum suarum providum se credant. Hac sibi in animis illorum templâ, has pulcherrimas effigies esse, & mansuras. nam quæ saxo struuntur, si iudicium posterorum in odium vertat, pro sepulchris sperni. Neque hæc in Senatu tantum: sed perstitit posthac etiam secretis sermonibus aspernari talem sui cultum. Etiam statuas atque imagines, sive ab urbe ulla, sive à privato, nisi permittente se, poni prohibuit: addiditque, nunquam se permissurum. Neque permisit, nisi ea sola conditione, ne inter simulacra deorum, sed inter ornamenta adimponerentur. Nomen PATRIS PATRIÆ, à populo sæpius sub initia Imperii, iterum cum annonam suâ pecunia sublevasset, rursus occiso Sejano, ingestum, plane (παντελῶς) repudiavit: neque in aëra sua jurari, quanquam censente Senatu, permisit: cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictans. Prænomen quoque IMPERATORIS, (quod pater & avus receperant) & civicam in vestibulo coronam (quam pariter admiserat pater) recusavit. Ac ne AVGVSTI quidem nomen (ab eodem Octaviano, & quidem primùm, adsumtum: nam quod Reinkingius jam Divum Julium ex sententiâ Munatii Planci se Augustum dici passum, scribit, pudendus error, & mera aivσeησιâ est: quam è Velleio, Suetonio, Dione, Floro, Censorino, Entropio, multisque aliis scriptoribus, vel pueri refellant; nemo sine suspitione vanitatis & ἀνεπισίας, tanquam veritati non absonum, defendat: neque id unquam puto scripsisse Panvini-um, quem adlegat; quippe qui in Comment. in Fastos suos, ad an-*

Tacit. 4. A. 37. 2

Suet. 6. 26.

Suet. l. c. Dio 57. p. 607. Tac. cit. 4. A. 37. & 38.

Tac. 1. A. 72. 2. A. 87. 2. Dio 58. p. 529. Sueton. l. c.

Suet. l. c.

l. 1. de regim. sac. & Eccl. cl. c. 11.

num V.C. 727. Octavianum primum sic vocatum esse, disertè ad-
firmat: credoque potius, Reinkingium deceptum esse appel-
latione C Julii Caesaris, quæ in Fastis, & apud Scriptores ve-
res, æquè Octaviano ac Julio tribuitur:) *quanquam hereditari-*
um, nulli nisi ad reges ac dynastas epistolis (augendæ, credo, apud
Dio 57. p. 607. exteros majestati Romanæ) addidit: nec unquam sibi decerni pas-
sus est: CÆSARIS, & quandoque GERMANICI, ac PRINCI-
PIS SENATUS, more antiquo, nomen sibi tribuisse conten-
Tac. 2. A. 87. 2. tus. Acerbè etiam increpuit eos, qui sacras aut divinas ejus occu-
Suet. c. 27. Dio l. pationes, ipsumque dominum dixerant; cuidam horum denunti-
c. p. 606. & se ans, ne se amplius contumeliæ causa nominaret: ac sæpius dicens,
dominum se servorum, imperatorem militum, ceterorum Princi-
Suet. c. 26. pem esse. Neque per fortunam suam jurare cuiquam, aut natali
suo præter consuetudinem quidquam fieri permisit: adeo ut plebejis
Dio 58. p. 629. sit: cumque publice decretum esset, ut idem decem equorum cer-
tamine & epulo senatus honoraretur, non tantum non admisit,
sed etiam prohibuerit, ne quis impofterum de ulla re tali in Senatus
Dio 57. p. 614. referret. Similiter cum Senatus mensem Novembrem (cujus XVI
Suet. l. c. die natus fuit) cuperet ab eo Tiberium nominare; intercessit: adu-
latione ipsorum acri dicerio notatâ. Nam, Quid facietis, aje-
Suet. l. c. bat, si tredecim Cæsares fiant? Nec amplius, quam omnino tres con-
sulatus, (cum Augustus XXXVII. gessisset:) *neque tamen hos*
toto anno, sed unum paucis diebus, alterum tribus mensibus, ter-
Tac. 6. A. 45. 3. tium etiam absens, gessit. Denique Templum Augusto destina-
tum, & scenam Pompejani theatri, quæ duo opera sola publice stru-
xit, perfecta contemptu ambitionis haud dedicasse credebatur. At-
que hæc omnia non solum præclarè, sed etiam prudenter fecit.
Nec enim oblitus erat, avum Julium Cæsarem, quod eosdem
Suet. c. 76. similesque honores nimios & ampliores humano fastigio, ut conti-
nuum Consulatum, perpetuam Dictaturam præfecturamque mo-
rum, prænomen Imperatoris, cognomen Patris patriæ, statuam in-
ter reges, suggestum in orchestra, sedem auream in curia & pro tri-
bunali, templa, aras, simulacra juxta Deos, pulvinar, flaminem,
Lupercos, appellationem mensis è suo nomine, &c. receperat, aut
decerni sibi passus erat, effecisse, ut & abusus dominatione, & jure
casus

caesus existimaretur. Nec ignorabat, in universum modestiam Principi, praesertim in novo Principatu, non decori tantum ad laudem, sed etiam utilitati ad tutelam, diuturnitatem, amorem & admirationem obtinendam, esse. De quo plura *Comes Caraccio* in *Principe Politico* lib. 5. cap. 1, *Lipsius* 2. *polir.* 15. *Chokier* lib. 5. c. 17. &c.

§ XLIII. Superest princeps omnium virtutum, ac imperantium propria & unica virtus, *Prudentia*, dux & magistra omnium rectarum actionum, ipsaque anima gubernationis, sine qua imperia non solum infirma, sed nulla sunt. Hanc quoque in *Tiberio* laudavit *Augustus*, sic ad eum scribens: *Ego vero, Suet. c. 21.*
mi Tiberi, inter tot rerum difficultates non potuisse quemquam prudentius gerere se, quam tu gesseris, existimo. Laudavit & *Philo Judaeus*,
cum profunda prudentia (*Φεγνήσις Βαθεία*) usum, ac in noscendis
occultis hominum voluntatibus perspicacissimum, tantumque perspicaciam in iudicando (*συνέσει*) quantum fortunam praecellentem fuisse scribit. Nec minus agnovit *Julianus Imp.* cum *σω Φεγντι βλέποντι*, aliquid prudentiae praeseferentem, in Deorum senatum introduxit. *Ejus* indicia, inter alia plurima, sunt (1.) quod, ut jam diximus, occultas hominum voluntates cognoscebat: quod solius prudentiae est: quae variis artibus indagat, quod nemo alius, eam destitutus, possit. Exemplum dabit *Tacitus* 1. *A.* 7, 8. (2.) quod futurorum providus fuit; non tam ex scientiam *Chaldaeorum* artis, cuius apiscendae otium apud *Rhodium* habuerat; quam ex usu rerum, & solertiâ ingenii, quae introspectis hominum cogitationibus, sermonibus, gestibus, molitionibus, accedente meditatione animi, non minus quam ars *Chaldaeorum*, in vaticinia & praedictiones, sed multo certiores, desinit: Nam & prudentia quodammodo est divinatio. vid. *Bœcler. Comment. Nepot. pag. 22. & seqq.* (3.) quod non facile tentavit, aut aggressus est, quae dubitavit posse perfici. Sic, cum *Aediles*, animadverso luxum immensum prorupisse ad cuncta, quis pecunia prodigitur, disseruissent in *Senatu*, sperni sumtuariam legem, vetitaeque utensilium pretia augeri indices, nec mediocribus remediis sisti posse, & consulti *Patres* integrum id negotium ad Principem distulissent; *Tiberius* saepe apud se pensitato, an coerceri tam profuse cupid-

lib. de legat. ad
Caj. pag. m. 772.

in *Casarib.* tome
2. oper. p. 9. e.
dit. *Petau.*

Tac. 6. *A.* 46.

id. 6. *A.* 20, 4.

Corn. Nepos 25,
16, 4.

Tacit. 3. *A.* 52.
& 53.

pidi.

*pidines possent, num coërcitio plus damni in Remp. ferret; quàm in-
decorum attrectare, quod non obtineretur, vel retentum ignomini-
am & infamiam virorum illustrium posceret: tandem Senatui re-
scripsit, si secum ante consilium adiles habuissent, suasurum fuisse,
omittere potius pravalida & adulta vitia, quam hoc adsequi, ut pa-
lam fieret, quibus flagitiis Patres impares essent. Cautè profecto
Id. 2. H. 76. 2. ac prudenter. Omnes enim, qui magnarum rerum consilia susci-
piunt, aestimare debent, an quod inchoatur, Reip. utile, ipsis glorio-
sum, aut promptum effectu, aut certè non arduum sit. Plura pru-
dentia documenta suppeditabunt Artes, quibus usus est, paul-
lò post recensendæ.*

*Dio 58. extr.
Suet. c. 21.*

*l. 57. p. 610.
add. p. 615.*

*cap. 41. add.
s. 57.*

6, A. 51, 7.

§. XLIV. Atque hæ sunt Virtutes, quibus Tiberius no-
ster inclaruit. Veræ ne, inquires, an simulatæ? Veras, saltem a-
liquas, videri possint existimâsse Dio ac Suetonius: quorum ille
*multas eum virtutes habuisse, atque sic ius usum fuisse, ait, tanquam
si sola in eo fuissent; hic, Augustum vitis virtutibusque ejus per-
pensis, potiores duxisse virtutes, scribit. Sed tamen ipse Dio alibi
dubitatur, ab initio eum animum gerens Tiberius, qualem postea, de-
functo Germanico, ostendit, ita se composuerit, dum Germanicus
vita frueretur, quem principatui imminentem ante oculos habebat;
an, adversario sublato, ab egregia natura in vitia cursum deflexe-
rit. Suetonius quoque, secreti licentiam nactum, (cum Capreas se
contulisset) & quasi civitatis oculis remotum, cuncta simul vitia,
(quæ mox enumerat) male diu dissimulata, tandem profudisse, ait.
Ut fatis appareat, utrumque pro simulatis fictisque virtutes Ti-
berianas habuisse. Quod etiam Tacito visum, quo nemo pe-
nitius ingenium Ejus introspectit. Postremo, inquit, in scelera
simul ac dedecora prorupit, postquam, remoto pudore & metu, suo
tantum ingenio utebatur. Ergò, quæ antea bene virtuoseque
egerat, non ab ingenio ejus, sed à pudore ac metu fuere. Scio,
virum doctissimum in notis ad Synopsin historicam Besoldi pag. 281.
& seqq. existimasse, Tacitum, Senatorie factionis scriptorem, & se-
cundum suspiciones utilia facta in pejus detorquentem, animum non
tam Tiberianum nobis depingere, quam suum. Sed & hoc scio,
summos viros optare, ne hoc liberum nimis de Tacito iudicium Vi-
ro eruditissimo excidisset: cum rationes, quas adfert, nulli unquam*

7679

rem rectè existimanti persuasura sint, ut laudi, quam doctior orbis, communi suffragio, ob sollicitum veritatis studium, Tacito tribuit, quicquam derogat. Vid. Epistola 21. earum, quas de testimonio Josephi, Christo Servatori tributo, à viris doctis scriptas, nuper junctim edidit Christoph. Arnoldus. Et profectò penitiùs actiones Tiberii inspicienti, speciosaque à sinceris secernenti, facile apparebit, si fortitudinem ac prudentiam excipias, (quas & Julianus in eo videtur agnovisse: nam $\sigma\omega\phi\rho\upsilon\tau\iota\ \alpha\mu\alpha\ \kappa\iota\ \pi\omicron\lambda\epsilon\mu\iota-$ loc. sup. cit. $\kappa\omicron\nu\ \beta\lambda\epsilon\pi\omicron\upsilon\tau\alpha$, h. e. prudentia pariter ac fortitudinis bellicæ aliquid præ seferentem inducit:) vix ulla Eum virtute verâ præditum fuisse. Id quod egregiè ostendunt Bæcler. Dissert. 3. ad Sueton. thes. 14. & 15, Lentulus in Arcan. regnor. cap. 5. pag. 151. & seq. ac præsertim Brochmandus parte 2. specim. Ethic. Characterist. cap. 4. pag. 287. & seqq. Apud quos Nostrum suis virtutibus denudatum, detractâque larvâ, nativis coloribus depictum habes: Idem docebunt Vitia Ejus, mox enumeranda.

§. XLV. Ceterùm negari nequit, tam benè, tamque constanter ac diu, quasdam virtutes simulasse Tiberium, ut non solum vulgo, sed etiam multis prudentiorum imposuerit. Præsertim primis imperii annis, cùm adhuc favorem hominum moderationis simulatione captaret. Nam, ut benè Tacitus, morum illi tempora diversa. Egregium vitâ famâque, quoad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit. Nondum enim suo ingenio utebatur: sed alienum (Augusti) ingenium imperiumque sequebatur. Præterea cupido imperii efficiebat, ut modis omnibus sævitiam ac animi diritatem, ceteraque vitia occultaret, egregiumque se vita præstaret, quò dignus imperio videretur. Quam tùm quoque subinde sævitix, iracundiæ, superbiæ, simulationis, secretarumque libidinum, multa indicia, etsi premebantur, erumpebant. Vid. Tacit. 1. A. 4. & Sueton. c. 57. At Principatum adeptus, paullatim in suum ingenium immigrabat. Occultus ac subdolus fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere. Hos enim, ut Principatui imminentes, populoque caros, metuebat. Germanicum præsertim, & corporis forma, & animi bonis, institutioneque juxta & robore, clementia & modestia, præstantissimum. Ac, etsi paullatim Principem exercuit, præsti-

Sue. c. 57.

6. A. 51. add.

4. A. 1, 1. c. 6, 1.

c. 7, 2. 5. A. 3, 1.

Dio l. 57. p.

608. 599. & p.

615. Suet. c. 26.

33. 42.

Dio l. c. pag.

615.

Suet. c. 37.

G

præsti-

Tac. 4. A. 1. 1.
& c. 6, 1.

S. A. 3. 1.

Tac. 1. 5.

in Apologet.
c. 5.

v. Heidmann,
Compend. hi-
stor. lib. 4.
pag. 88.

praestititque; commodiorem tamen saepius, & ad publicas utilitates
proniorem praestitit. Defuncto utroque, quanquam in deterius
mutatus, seviebat ipse aut sevientibus vires praebebat, impellente
Sejano, sine quo jam nihil agebatur: attamen inter bona mala-
que mixtus fuit, incolumi matre Livia; quippe, ut alibi Tacitus,
Tiberio inveteratum erga matrem obsequium; neque Sejanus aude-
bat auctoritati parentis anteire. Sed eam quoque mortuam, praerum-
pta jam & urgens dominatio coepit; Tiberiusque velut freno
exsolutus prorupit; intestabilis sevitiam, sed obtectis libidinibus, dum
Sejanum dilexit timuitve. Quippe dum dilexit, monitis ejus
obsequutus, obtexit libidines: postquam timere coepit, vere-
batur, ne si palam frenum illis laxaret, in contemptum populi
veniret: quod, parato sibi aemulo, in primis cavendum erat.
Postremo, etiam Sejano sublato, in scelera simul ac dedecora pro-
rupit, postquam remoto pudore ac metu, suo tantum ingenio ute-
batur.

§. XLVI. Ceterum VITIA in Tiberio deprehensa (de his
enim nunc breviter dicendum est:) haec ferme fuere. Primo
Neglectus Religionis. Non solum verae, sive Christianae, quae il-
lius tempore, ut Tertullianus ait, in saeculum introivit, h. e. inter
Gentes celebrari, lateque per Orbem terrarum spargi coepit;
quamque non ignoravit, si verum est, (nec enim desunt doctiss.
viri, qui non satis exploratum putent:) quod Tertullianus in Apo-
loget. capp. 5. & 21, Eusebius 2. Hist. Eccles. cap. 3. & in Chronico,
num. 2051, Orosius 7. Histor. 4, ex iisque Graeci Latini que scripto-
res magno numero, ut Chrysostom. homil. 28. in epist. ad Corinthios,
Zonaras Tomo 2. histor. Gregorius Turon. 1. hist. Franc. 24, Ado
Vienn. in Chron. ad an. Chr. 17, Albertus Stadenf. ad an. Chr. 39, & c.
itemque ex Arabibus Patricides, sive Eutychnus Alexandrinus,
Tom. 1. Annal. pag. 323. & seq. narrant, Tiberium, cum e Pilato
gesta Christi & Apostolorum ejus cognovisset, retulisse ad Se-
natum cum praerogativa suffragii sui, ut Christus in numero
Deorum haberetur; sed Senatum, ac in primis Sejanum, id re-
cusasse: multoque minus, si quod Tertullianus & alii addunt,
Caesar nihilo fecius in sententia permansit, accusatoribus Christia-
norum periculum mortis comminatus; aut, quod minori veri
specie

Specie refert *Patricides*, in Christum credere, ac religionem Christianam publicare voluit, nisi sequi in hoc ipsum Comites ipsius nolissent. Sed etiam *Ethnica*, quæ tùm Romæ ac in universo Romanorum imperio vigeat. Fuit enim circa Deos ac religiones negligentior: quippe addictus mathematicæ, persuasionisque plenus, cuncta fato agi. Ingens vitium, & à Principe cum primis arcendum: qui non tantùm exemplo plurimùm nocere potest: sed etiam grave illud publicarum curarum onus sine præsentis Numinis auxilio, quod unicè precibus ac reliquo cultu sacro impetrandum est, nunquam ex dignitate sustinebit. Proinde religionem ac pietatem non solum in subditis, quanta maxima poterit sollicitudine, conservabit; sed ipse etiam summo studio observabit coletque. Et verè quidem, non fictè, ac simulatè. Neque enim *Macchiavello* fidem habebit, affirmanti satis esse Principi, si religionem simulet, ac fingat, idque det operam, ut pius videatur, etsi non fit. Nam (ut benè *Saavedra*) qui religionem fingit, nullam omninò credit. Et si ejusmodi fictio artificium quoddam est politicum ad copulandos animos & tuendam Rempublicam, multo id præstabit meliùs vera religio, quam falsa. Possemque multa enumerare exempla, cùm felicis successus eorum Principum, qui Pietatem seriò coluerunt, tùm divinæ vindictæ, quæ in ejusmodi simulatores detonuit: nisi jam antè nimium Dissertatio hæc nostra excrevisset. Plura cupienti ad eundem *Lipsius* 4. polit. 2, 4. & seqq. *Caracciolus* Princ. polit. 6, 1. & seqq. *Lentulus* Arcan. regnor. c. 49. quest. 2. *Imhoff* part. 1. singul. polit. cap. 1. & c.

Suet. c. 69.

Symbol. 24.

§. XLVII. Notari meretur causa neglectarum à Tiberio religionum. Quippe addictus mathematicæ, ait *Suetonius*, persuasionisque plenus, cuncta fato agi. Ubi cave mathematicæ vocem accipias de divina illa mathesi, scientiisque mathematicis; quæ neque dedecent Principem, & ad eò non abducunt à religione ac pietate, ut potius contemplatione divinissimorum operum eò adducant: sed de astrologia genethliaca sive judiciaria, seu arte Chaldaeorum, quæ è positu siderum, adhibitis plerumque in auxilium artibus magicis, quandoque & dolis, cujusque hominis indolem, mores, fortunam, immò civitatum

imperatorumque fata, prædicebant: quibusque addictum, multumque confisum fuisse Tiberium, etiam è Tacito 6. Ann. 20. 21. & 46. ac Dione lib. 55. pag. 555. & seq. l. 57. pag. 615. 616. 635. & l. 58. p. 638. cognoscimus. Hos enim non vulgus tantum, ut

1. Noff. Att. 9. Gellius ait, *mathematicos dicebat*, sed passim historici, oratores, in admon. adv. poetæ, philosophi, Jureconsulti. Immò, si Sexto Empirico Mathemat. credimus, ipsi *Mathematicos se & Astrologos speciosis nominibus jaëtabant*. De illis benè & cum emphasi characteristicâ Tacitus: 1. H. 2, 2. *Genus, inquit, hominum potentibus infidum, sperantibus fallax: quod in civitate nostra & vetabitur semper & retinebitur*. Quæ vera esse, passim historiæ docent. Ceterum cum duplex Mathematicorum seu Astrologorum genus esset, unum eorum, qui necessariò atque inevitabiliter fieri debere ajebant, quæ è siderum situ prædicebant; alterum quod fatebatur, ea ejusmodi esse, ut duntaxat significant, quò natura ac voluntates nostræ à sideribus inclinentur, nullam autem necessitatem animis nostris inferant; adeo que disciplinâ & consuetudine, tum & divinâ ope, corrigi queant: Tiberius haud dubiè priori addictus fuit. Nam, si mutari posse, quæ sibi suoque imperio mala ex astris imminerent, credidisset, sæpius utique Deorum opem implorâisset. Nunc, quoniam *cuncta fato*, i. e. inevitabili necessitatis lege, *agi*, sibi persuasit; *circa Deos ac religiones negligentior est*: quod frustraneas credit supplicationes ac vota, cum Dii aut nolint aut non possint mutare illum cælestium influentiarum ordinem ac nexum, quem semel rebus mortalium constituisent. Ita fieri necesse est; quantum ad vana delabimur, tantum à pietate ac religione discedimus.

§. XLIX. Prolixè hîc disquiri posset, *quantum fato, fatalibusque numeris, terminis, periodis tribui; an item, & quousque predictionibus, vaticiniis, visionibus, aliisque revelationibus, præsertim de statu ac mutationibus imperiorum, eventibus bellorum, fati illustrium virorum, &c. fides haberi debeat?* Sed quoniam properamus, pauca dixisse sufficiat. Fatum agnoscere ac vereri, fato se submittere, fato sua consilia accommodare omninò debent, quicumque ad clavum Reipub. sedent: sed vero, sed Christiano, seu, ut alii vocant, Theologico: cujus quæ
vis

1. Noff. Att. 9.
in admon. adv.
Mathemat.

1. H. 2, 2.

v. Voss. Theolog.
gentil. 2, 48.

vis sit ac ratio, egregiè docet *Vossius 2. Theolog. gentil. c. 50.* Adde *Gassend. lib. 3. Ethices cap. 3.* & passim Theologos nostros in loco de *Providentiâ divinâ.* Proinde civilis prudentiæ studiosis *Doctrina Fati*, vulgo scriptorum politicorum ferè præterita, quàm commendatissima esse debet. Vere enim respectu totius prudentiæ fundamentalis est illa cognitio: quippe quæ consiliis profunditatem, actui rectitudinem suppeditat: cujusque normam nisi in majoribus illis, quæ statum publicum concernunt, provisionibus singula sequantur, universa vasillare necesse est. Vid. *Bæclerus diff. de politic. Lipsian. cap. 3.* Cujus summi viri *Theatrum Fati*, pridem delineatum, ac ibidem promissum, ut aliquando in lucem prodeat, plurimum civilium studiorum interest; eo que cunctis, qui illa amant ac colunt, optandum, immò, si possunt, rogandum, urgendum, procurandum. *Stoici Fati*, ab eodem *Vossio d. l. cap. 49.* àque *Gassendo cap. 2.* descripti destructique, & à *Lipσιο*, *Senecæ* ac *Stoicorum* lectioni planè immerso, *lib. 1. polit. c. 4.* nimis religiosè ac ἀλαουίστως (ut etiam monuit *Bæcl. l. c.*) lectori suo propinati, vel ideò nulla viro prudenti habenda ratio est, quod omni arbitrii libertate, quidquid ipsius patroni causentur, nos spoliat. *Astrologicum* verò etiam irrideri meretur; sive necessitatem inevitabilem, sive meram propensionem, cui resisti possit, ei tribuas. Nam si maximè largiamur, esse à sideribus aliquam animorum, & quæ ab eo pendet, inclinationem; prævideri tamen satis non potest, cujusmodi ea futura sint: partim quod pauca admodum sunt, quæ è positura siderum de ejusmodi rebus sciri queunt; partim quod ea, quæ quodammodo sciuntur, tam frivolis incertisque conjecturis innituntur, ut magnæ sit dementiæ, si quis ex iis de hominum conditione ac fortuna, multoque majoris, si de Principum ac imperiorum fati, aliquid vel verisimiliter ausit prædicere. Id quod post celebrem *Astrologorum* adversarium *Johannem Picum*, in *libris 12. Disputationum adversus Astrologos.* (à cujus rationibus, iudicio *P. Merulae*, ne acerrimi quidem *Astrologiæ* propugnatores eam unquam sunt salvaturi) tam doctè, tam solidè, tam evidenter, tam copiosè ostenderunt *Ben. Pererius libro 2. Commentariorum in Genesin, fo. Barclajus lib. 2. Argenidis, P. Me-*

vula lib. 2. *Cosmograph. general. cap. 16*, Vossius l. c. & præsertim Gassendus, summus ipse Astronomus ac Mathematicus, cum *parte 2. Comment. in Epicurum, tum lib. 6. Physices sect. 2. totâ*, ut vix ullum dubitationi locum reliquerint. De reliquis prædictionibus ac vaticiniis non alium posco judicem, quàm eventum: qui cum olim, tum præcipuè proximis annis docuit, quam vanæ fuerint ac fallaces, etiam quæ vix minore cum adplausu, quam divina Prophetarum oracula, passim à magnis quoque hominibus excepta fuerant. Recordare modò famosæ illius *Apocalypseos referatæ*, & vera me dixisse, fateberis.

§. XLIX. Sed revertamur ad Tiberium. In quo porrò (II.) deprehensa est *arrogantia & superbia*; quam diu ante quam imperio potiretur, ut vetus & insitum Claudiæ gentis vitium, Romani formidabant. v. *Tacit. 1. A. 4, 3*. Plena sanè res arrogantia fuit, quod, Maroboduo, undique deserto, ad misericordiam ejus confugiente, *apud senatum differuit, non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum aut Antiochum populo Rom. perinde metuendos fuisse: magnitudinem viri, violentiam subjectarum eorum gentium, & quàm propinquus Italiae hostis, suaque in destruendo eo consilia, extollens*. Itemque, cum gloriâ, ob rejectum Adgandestrium proditorem, *priscis imperatoribus se æquabat*. de quo *suprà §. 41*. Plena quoque arrogantia vultus, sermo, gestus Ejus: sæpius ab Augusto, tanquam *nature vitia, non animi*, excusata. Denique & *aures superbas, & (quales ferè superbiorum) offensionem proniores ei Tacitus tribuit*. cujus reliqua loca §. 20. annotavimus. Frequens hoc vitium, & quasi agnatum, Magnatibus; ac *indiscreta feliciumpedis equa*. Vix enim cuiquam *contigit & abundare fortunâ, & indigere arrogantia*: rarique sunt, quos potentia & opes non inflent. Quæ omnia cum in Principibus sint plerumque maxima; quid mirum, si superbiores sint? Auget spiritus Educatio splendida, & cunctorum, etiam erga pueros, demissio & obsequia: tum præsertim adulatio & blanditiæ Aulicorum, tituli que alii super alios cumulati. Immò sunt, qui ad auctoritatem conciliandam superbiam in sermone, vultu, gestu se exferentem, facere existiment. In quo tamen egregiè falluntur. Nullus enim pestilentior auctoritati Prin-

Tacit. 2. A.
63, 4.

Suet. c. 68.

4. A. 29, 4.

Latin. Pacat.
panegy. c. 20.

Principum morbus, quam superbia. Cur? & quibus remediis ea pellenda? docent *Lipsius 2. polit. 15, & Monit. polit. 2, 14. Chokier 6. Thesaur. polit. 3. & 4, Caracciolus Princip. polit. 5, 1. & 2. & c.*

§. L. Deprehensus est (III.) *Suspica animus*, sive *suspicionum ac credendi temeritas*: quam, jam ante nimiam & intolerabilem, augebat subinde & acrius turbabat *Sejanus*. En aliquot ejus specimina? *Verba, vultus in crimen detorquebat*: levissimam saepe de causa. Quam leve enim, quod *Zeno* quidam *Græculus*, exquisitus fermocinans, rogatus ab *Eo*, quanam illa tam molesta dialectus esset, respondit, *Doridem?* Et tamen idcirco relegatus *Cinariam* est, quasi exprobrasset illi veterem secessum: quod *Doricè Rhodii loquerentur?* Præterea divites, promptos, artibus egregios, & pari fama publicè, suspectabat: multosque hac solâ causa tollebat è medio, quod suspectos haberet. Quosque semel suspectare aut odisse cœperat, eorum cuncta in deterius traherat: ut *Germanico* factum, notat *Tacitus 1. A. 62, 3*. Siquis fœdos ejus mores reprehendisse diceretur, quia vera erant, etiam dicta credebantur. Sollennis hic Tyrannorum mos: quibus semper aliena virtus formidolosa est; sinistraque erga eminentes interpretatio: quibus nobilitas, opes, omni gestique honores pro crimine. Exempla in *Annalibus Taciti* utramque paginam faciunt: unde hauries, si tibi volenti est. Causa in aperto est. Verentur enim, ne, qui se meliores potentioresve sunt, vitam sibi aut imperium eripiant. Præterea pessimæ per omnem vitam actiones, earumque memoria verberat, cædit, urit conscientiam: sciuntque, ob illa communi se odio expositos. Inde perpetuæ suspiciones, perpetuus metus. *Omniū manus*, (immo ora, vultum, gestus) observant, & eo quoque tempore, quo non captantur, peti se judicant, nullumque momentum à metu immune habent.

§. LI. Animadversa est (IV.) *Iracundia*, eaque summa, planeque tyrannica. Primò enim facilè ac celeriter, & saepe numero levissimis causis, excandescerebat. quod passim è *Tacito* videre est. Deinde condebat ac premebat iram, usquedum occasionem promendi recondita antraque odia nancisceretur: adeò

Tac. 1. A. 13, 4. & 4. A. 67, 5.

Id. 1. A. 7, 8.

Suet. c. 56.

Tac. 1. A. 13, 11.

v. Dion. l. 58.

Tac. 1. A. 74, 3.

Sallust. Catil.

71. Tac. Agr. 5.

6. & 1. H. 3, 4.

Senec. de Clement. 1, 19.

adeò quidem, ut etiam *convictibus adhiberet*, quos ulcisci cupiebat, (ut eò facilius *cuncta eorum dicta factaque sciret*, familiaresque ac complices deprehenderet:) *non vultu alienatus, non verbis commotior*: immò honoribus ornaret, altiusque extolleret: quosdam verò *blanditiis atque promissis pelliceret*. Videndi Tacitus 1. A. 7, 8. c. 69, 6. 2. A. 28, 3. 3. A. 64, 2. 6. A. 50. 4. Sueton. c. 37. Dio l. 58. p. 622. 623. 624. Tertiò *revolvebat diuque coquebat* animo iras, ac etiam si impetus offensionis languerat, memoria tamen valebat. Quartò *implacabiliter irascebatur*; cumque aliàs odium vel precibus mitigari possit, vel temporibus reip. communique utilitate deponi, vel difficultate ulciscendi teneri, vel vetustate sedari: Tiberii ira non verbis leniebatur; non periculo eorum, à quibus offensus erat, non interjectu temporis mitigabatur. vid. Tacit. 1. A. 12, 6. c. 13, 7. 3. A. 51, 3. Odium erga Vibium Serenum, qui quædam contumacius ad eum scripserat, quam tutum apud aures superbas, per annos octo aluit, ne quidem exilio viri lenitus. Asinium Gallum, propter ductam ab eo uxorem suam, Vipsaniam, ac libertatem dicendi de principatu usurpatam (quorum alterum ante principatum Tiberii, alterum sub initium ejus factum esse, è Tacito 1. A. 12, 6. & Dione l. 58. p. 603. apparet:) demùm XI Imperii anno, capto tempore, adortus est. Et de postremis illius temporibus graviter, ut solet, Tacitus, nec sine emphasi characteris: Non, inquit, Tiberium, quanquam triennio post cadem Sejani, quæ ceteros mollire solent, tempus, preces, satias, mitigabant, quin incerta vel abolita pro gravissimis & recentibus puniret. Quintò denique, non tantùm adversus alios, sed etiam adversus ipsas necessitudines suas h. e. matrem, uxorem, fratrem, filium, nurum, nepotes, itemque adversus veteres amicos, familiares & convictores suos, ejusmodi odia fovebat: narrata prolixè Suetonio cap. 50. & seqq. add. Dio l. 58. p. 635. & alibi. Hi veluti gradus sunt iracundiæ Tiberianæ. Cavete Principes, & quicumque cum imperio estis, cavete hanc pestem, non indecoram modò Vobis & molestam, sed etiam noxiam, nec nisi in odia subditorum & amicorum, vestrum denique exitium, desituram? Id quod prolixè docent Saavedra simbolo 8, Anton. Æmilius Oration. polit. 9, & passim alii. Tetigere & Mutius consid. 17. ad Tacitum, ac Bæcler. Comment. ad 1. A. 13. §. 4.

§. LII.

§. LII. A tam iracundo, simul in suspiciones proclivi,
 Principe vix abesse potuit (V) *Sevitiā*, sive crudelitas: præser-
 tim cum naturā in eam propenderet. Quippe *nec in puero la- u. Sueton. c. 57.
 & 16. not. Ca-
 sanboni.*
tuit seua ac lenta natura: quam sagaciter perspiciens preceptor
rhetoricæ, Theodorus Gadareus, subinde in objurgando appellavit
eum πηλὸν αἵματι πεφουρµένον, i. e. lutum sanguine permistum.
 Atque hanc *Augustus* præsignificasse creditur, cum moribun-
 dus exclamavit: *Miserum populum Romanum, qui sub tam lentis Suet. c. 21.*
maxillis erit. Tanta autem in eo erat *sevitiā*, ut levissimas ob-
 causas homines interfici juberet, haud facile cuiquam deli-
 ctorum gratiam faciens: tamque crebra illā tempestate essent
 supplicia, ut nullus ferme dies, ne quidem sacer ac religiosus,
 illucesceret, quo pœnæ non exercerentur, nemoque Romano-
 rum civium tam expers mali esset, quin ob aliquem mœreret;
 nulla ferè domus illustis, quæ non cædibus impleretur. Non
 consanguineis & propinquis, non matri, non filiis ac nepoti-
 bus parcebat. Nec solummodo rei, sed & reorum liberi pro-
 pinqui, amici, ad mortem rapiabantur: nullius alterius crimi-
 nis convicti, quam quod amici fuissent. Nova quoque suppli-
 ciorum genera excogitabat, quibus diutius excruciaaret peri-
 tuos: simplicem & maturatam mortem pro beneficio impu-
 tans. Ac ne materia crudelitati deesset, *Delatores* adhibebat, Tacit. 4. A. 30.
ac per premia eliciebat; genus hominum publico exitio repertum,
qui confictis variè criminationibus, & occultis libellis, sive odio,
sive spe præmiorum, sevitiæ Principis adrepentes, clarissimo cui- Id. 1. A. 74. 2.
que periculum facecebant, immò perniciem creabant: ne color &
*prætextus; legem majestatis ab Augusto primùm ad dicta (quæ v. Tac. 1. A. 73.
 2. A. 50. 3. A.
 38. & Sueton.
 c. 58. Diol. 57.
 p. 615. 619. &c.*
antea impunè erant) & famosos libellos extensam, reduxit haud
tantùm, sed in immensum ampliavit: adeò ut majestatis po-
stularentur, quicumque vel minimo facto dictove, defuncti vi-
ventisve Principis dignitatem læsisse viderentur: essetque tum Tac. 3. A. 38. 10
majestatis crimen omnium accusationum complementum, seu, ut
eleganter Plinius, singulare & unicum crimen eorum, qui crimine paneg. 4. 42. 10
vacabant. Quo factum est, ut infinita hominum multitudo per
 carnificem necaretur, alii, sive miseriæ temporum pertæsi, sive
 graviora metuentes, sibi ipsi mortem consciscerent. Non enim

H

Tibe-

Tacit. l. c. *Tiberius, non accusatores fatifcebant. Tantisque sub eo Senatorum*
 Dial. 58 p. 636. *numerus periiit, ut sorte ducti provinciarum praesides, praetorii qui-*
 dem per triennium, consulares per sexennium praefuerint, cum non
 Joann. Antioch. *suppeterent successores: Senatusque tantopere exhaustus esset, ut ne*
 in Exc. Peirese. *ad solennia quidem comitia senatores sufficerent. Sed de crudeli-*
 p. 802. *tate Ejus plura Suetonius cap. 51. & seqq. ac passim Tacitus sex pri-*
oribus Annalium libris, ac Dio libb. 57. & 58. Eam nostro tempo-
re fermè æquavit Cromwellus, quo imperante nulla dicitur
praeterlapsa esse hebdomas, quæ non fuerit suppliciiis funesta;
nulla dies, immò panè hora nulla, quâ non aliquis in carcerem
raperetur: nunquam deficiente materia, quæ in crimen detor-
ta, miseris objectaretur. Sed quos uterque fructus sæ vitia tu-
lit? Quos alios, quàm quos tyranni solent, h. e. morsus con-
scientiæ, ac odium publicum, & qui his comitari solet, anxi-
um & omnia metuentem, ac ne proximis quidem & amico-
rum intimis fidentem, animum? Sanè Tiberius inter tot cru-
 Suet. c. 53. & 67. *delitatis exempla non modò invisus ac detestabilis, sed praetrepidus*
quoque, atque etiam contumeliis obnoxius vixit: & postremò semet-
ipse pertesus, in epistola ad Senatum professus est, pessimè se quo-
tidie perire. Cromwellus quoque pari metu percussus, semper
sclopeta investmentis circumgestasse, ac milite, excubiis, ar-
ce, ita se munivisse dicitur, ut veluti carcere inclusus videre-
tur; nunquam non metuens ictum lethalem, & manum percuf-
foris. Adeò verum est, quod ille apud poëtam ait:

Sæce. Cædipe
 v. 795. sq.

*Qui sceptrâ duro sævus imperio regit,
 Timet timentes: metus in auctorem redit.*

Adde egregium locum Sallustii epist. 1. de ordinanda repub. cap.
 3. & 4.

Tacit. l. A. 14.
 2. Sueton. c. 50.
 Dio 57. p. 509.
 seq.

§.LIII. *Invidia quoque morbo (VI.) laborabat Tiberius;*
 & quod illam sequi solet, *studio obtrectandi: à quibus ne qui-*
 dem mater ac propinqui immunes erant. Cum enim Patrum
 alii Liviam parentem, alii matrem patriæ appellandam, plerique,
 ut nomini Cæsaris Juliae filius adscriberetur, censerent; Tiberi-
 us anxius invidia, & muliebri fastigium in deminutionem sui acci-
 piens, ne lictorem quidem ei decerni, immò non ullum insignem ho-
 norem recipere eam publicè passus est. Germanici quoque, filii,
 bellicâ

bellicâ gloriâ augebatur: eoque revocatum è Germania parto Id. 1. A. 52. e.
jam decori per invidiam abstraherat; cuncta ejus in deterius trabe- 62. 3. 2. A. 26,
bat; ac ægre ferens, quod tam flagranti desiderio defunctus à 8. 3. A. 6.
populo, milite, proceribus, celebraretur, monuit edicto, ut luctui
modus adjiceretur. Eadem invidia & uxorem ejus Agrippinam,
Neronemque ac Drusum filios, excepit. In illam enim accensa
studia hominum, decus patriæ, solum Augusti sanguinem, unicum Id. 3. A. 4. 3.
antiquitatis specimen appellantium, & integram illi sobolem, ac su-
perstitem iniquorum precantium, alte animum Tiberii penetra-
bant. Pro horum vero salute ut comperit vota publicè suscepta, æ- Id. 4. A. 17. 2.
quari adolescentes senectæ suæ impatienter doluit. Sed hæc fortasse & Suet. c. 54.
fortunæ Principali ac haud omninò injusto Ejus metui, pudori-
que condonari quodammodo possunt. At quòd Germanico Suet. c. 52.
usque adeò obtreclavit, ut & præclara facta ejus pro supervacuis ele-
varet, & gloriosissimas victorias, ceu damnosas reip. increparet: quod
filios ejus, ex quo vota pro eorum salute suscepta fuerant, o- Id. cap. 54.
mnium criminationibus obnoxios reddidit, variâque fraude indu-
ctos, accusavit per litteras, amarissimè congestis etiam probris, & ju-
dicatos hostes fame necavit, quod in alterum eorum, Drusum,
defunctum in vectus probra corporis, exitiabilem in suos, infensum Tac. 6 A. 24.
Reip. animum, objecit; quod invidiâ ne plures fruerentur, (hæc
enim à nonnullis causâ moris ejus est credita) imperia continu- Tac. 1. A. 80.
are consueverat; hæc planè tyrannica sunt, nulloque modo
excusari queunt. Quemadmodum & illud, quod cum soleret Suet. e. 56.
ex lectione quotidiana: questiones super cœnam proponere, comperis-
setque, Seleucum grammaticum à ministris suis perquirere, quos
quoque tempore tractaret auctores, atque ita preparatum venire;
primùm à contubernio removit, deinde etiam ad mortem compulit:
quod item architectum qui porticum maximam Romæ singulari Dio l. 57. p. 617.
artificio in pristinum positum restituerat, invidens miri artificii
ejus, nomen illius in Commentarios referri vetuit, ipsum verò ob
invidiam urbe expulit; & mox supplicem, spe veniæ obtinenda vi-
treum poculum, consultò abjectum fractumque, subito resicientem,
necari jussit. Solennis & hic, ac velut insitus, plerisque Magna-
tibus (etsi non eo semper gradu, quo in Tiberio fuit) morbus
est. Qui cum potestate ac dignitate ceteris mortalibus præ-
stent,

stent, etiam corporis animique dotibus eos antecellere cupi-
unt. Quare si aut anteferri aut æquari sibi alios, se minores, vel
& aliquâ re præclarâ ab iis superari se vident, partim metu æ-
qualitatis, partim nimio sui amore adducuntur, ut vituperio
aut dedecori sibi id esse existiment. Ceterum quàm solennis
illis hic morbus, tam indecorus atque indignus est; maximè,
si ministrorum suorum præstantiæ, aut prudentiæ aut gloriæ
(quod sæpe fieri solet) invideant. vid. *Saavedra symbol. 9.*

v. Plin. pane.
Dyr. c. 24. 5.

Dio l. 58. p. 635.

Tac. 6. A. 51, 6.

id. 6. 1. 3. & 4.

v. Suet. c. 45. &
Dio l. c.
v. Tac. l. c. &
1. A. 4. 4. Suet.
c. 43. seqq.

Tac. 6. A. 45.
6. add. Suet.
c. 72.

pag. 802.

§. LIV. Etiam (VII.) ob Libidines malè audiebat Tiberius:
occultas quidem illas & obtectas. dum privatus fuit, aut *Sejanum*
dilexit timuitve; sed hoc, & unâ pudore ac metu, remoto, adeò in-
domitas, ut palam etiam nobilissimis, tam maribus quam feminis,
equè abuteretur, & more regio pubem ingenuam stupris pollueret:
prepositis servis, qui quærent, pertraherent; dona in promptos,
minas adversum abnuentes, et si retinerent propinquus aut parens,
vim, raptus, suaque ipsi libita, velut incaptos, exercentes: recu-
santes verò etiam delatoribus, qui incesti, aliorumque criminum,
accusarent, objiciens. Neque satiatus vulgari illorum tempo-
rum, etsi satis abominanda, venere, nova & ignota ante voca-
bula, nova arcanarum secretarumque libidinum quas jam olim,
Rhodi exul, meditati dicebatur, genera excogitabat. Utque ad-
spectu deficientes libidines excitaret, non tantùm cubicula pluri-
fariam dispositis tabellis ac sigillis lascivissimarum picturarum & fi-
gurarum adornavit: sed in silvis quoque ac nemoribus passim ve-
nereos locos commentus est, prostantesque per antra & cavas rupes,
ex utriusque sexus pube, Paniscorum & Nympharum habitu. Tam
constanter huic vitio deditus, ut etiam gravescente valetudine,
nihil è libidinibus omitteret; in patientiâ (sive potius, ut Gronovi-
us 4. observat. 25. corrigit, impatientia, nempe libidinis,) firmitu-
dinem simulans. Si *Johanni Antiocheno* credimus, libidines ipsi
etiam inter flagitia ac instrumenta dominationis fuere. Is e-
nim, in *Excerptis Peirescianis*, tradit, habuisse Tiberium cum uxo-
ribus illustrium virorum stupri consuetudinem. quò ex iis arcana
illorum cognosceret: quin etiam spe conjugii ad societatem ac mini-
sterium facinorum suorum eas pertraxisse. Sed nescio quo erro-
re, Tiberio tribuit, quod de *Sejano* pænè totidem verbis, (quæ
in

in *his*dem Excerptis reperiuntur) apud *Dionem* legerat. quod ^{pas. 669.}
miror, non observatum doctissimo *Valesio*: cuius alioquin, in
illustrandis illis praestantissimorum scriptorum fragmentis
haud poenitenda fuit diligentia. Sed hoc obiter. Quam sit hoc
quoque Vitium Principibus indecorum, quantum contemptus,
odii, infamiae illis parere, quantum damni ipsis rei publicae
adferre soleat, passim docent scriptores politici, in his *Lipsius*
4. polit. 12. 31. Chokier lib. 5. 2. & lib. 6. 2. ac 6. Tolosanus lib. 22. de
repub. c. 4. Caracciolus lib. 5. cap. 6. Forstner. ad Ann. 5. Tac. p. 408.
sqq. Mutius consider. 17. &c.

§. LV. Notata praeterea in eodem Tiberio est (IIX.) In-
temperantia ac Temulentia. Quippe non tantum in castris tyro
etiam tum, propter nimiam vini aviditatem pro Tiberio BIBE- ^{Suet. c. 42.}
RIUS, pro Claudio CALDIUS (cur? disquirunt *Lipsius 1. Elect. 4,*
Castalio Dec. 1. observat. c. 9. Phil. Caroli 1. variar. lectio. 7) pro
Nerone MERO vocabatur: sed etiam postea Princeps, in ipsa pu-
blicorum morum correctione, cum Pomponio Flacco & L. Pisone no-
blem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit. Ac ne ^{Id. m. c. 27.}
tum quidem convivium ceterasque voluptates praetermisit, cum jam
in gravio rem morbum, ex quo & paullo post obiit, recidisset. No-
vum quoque officium instituit AVOLUPTATIBUS. Utque pla- ^{Id. c. 43.}
ne constaret, quantum luxui ac Intemperantiae deditus esset,
eam & in aliis laudavit, ac ingentibus praemiis ornavit. Flacco
enim & Pisoni, quod biduum continuum, ut diximus, cum eo po-
taverant, alteri Syriam provinciam, alteri praefecturam Urbis con- ^{Id. l. 8.}
festim detulit; codicillis quoque jucundissimos & omnium horarum a-
micos professus. Et ignotissimum Quaestura Candidatum, ob epo-
tam in convivio, propinante se, vini amphoram, nobilissimis antepo-
suit. Turpe hoc quoque & indecorum Principi malum: cuius
non alii ferè fructus, quam contemptus, & pericula perpetua;
quò exitura denique, nisi in exitium ejus ac reipublicae? Nam
qui vitam traducunt in corporis voluptatibus, contemptui obnoxii fi- ^{Aristotel. 5.}
unt, multasque insidiantibus occasiones praebent. Neque facile so- ^{polit. 10. & 11.}
brius insidiis captari aut contemptui esse potest, sed temulentus. Plu-
ra in hanc rem *Lipsius l. c. §. 32. Chokier 5. 14. Caracciolus 5. 5. &*
alii passim.

H 3

§. LVI.

§. LVI. Observare porrò est (IX) *Sordes & nimiam parcimoniam*. Fuit enim *pecunie parvus ac tenax*: ut prolixè docet *Suetonius*. A quo minime dissentiunt, quod *Casaubono* videbatur, *Tacitus* ac *Dio*, cum liberalitatem Ejus prædicant: cujus & nos supra §. 31. & seqq. complura documenta exhibuimus. Simulata enim fuit, nec amore honesti, sed captando favori hominum, quandoque etiam ad mitigandam temporum atrocitatem, aut, populo auxilium flagitante, ab invito & coacto adhibita: ac præterea, ut è *Tacito* videre est, temporaria. Is enim non semper, sed diu, eam virtutem retinuisse *Tiberium*, scribit. *Dio* verò disertè tradit, eum idcirco strenas Kalendis Januar. recipere noluisse, quod ea res multi in rependendo sumtus esset. (X) *Avaritiam*, & rapinas, ad quas procedente tempore advertit animum. Exempla habes apud *Sueton. cap. 49. Tacit. 4. A. 20, 1. 6. A. 2, 1. c. 19, 1. & c. Dion. lib. 58. pag. 631. & alibi.* (XI) *Injustitiam*, quæ ab avaritia vix, à rapinis nequaquam abesse potuit. (XII) *Perfidiam*; quâ *Vononem regem Parthorum*, qui pulsus à suis, quasi infidem populi Rom. cum ingentigaza *Antiochiam* se receperat, spoliatum & occisum esse, constat. Eâdem *Maroboduum Cheruscorum*, *Rhescuporim Thraciæ*, *Archelaum Cappadociæ* reges circumvenit, inque potestatem suam redegit. vid. *Sueton. cap. 37. Tacit. 6. A. 42. 63. 64. & seqq.* (XIII) *Socordiam ingentem*; quâ imperium gessisse Eum scribit *Eutropius*. Quod tamen de posterioribus imperii annis capi debet; postquam scilicet *Capreas* se in insulam abdiderat. Tum enim, quantum intentus olim publicas ad curas, tanto occultior in luxus, & malum otium resolutus fuit. Unde & *Artabanus*, *Parthorum* rex, inter alia scelera, *ignaviam* Ei objecit. Cui quoque tribuebatur, quod proferendi imperii incuriosus erat; quodque imperante Eo, resolutis (ut ait *Victor Schottii*) militiæ artibus, pleraque juris Romani, h. e. (ut explicat *Victor junior*) *Armenia* per *Parthos*, *Moesia* à *Dacis*, *Pannonia* à *Sarmatis*, *Gallia* à finitimis gentibus, direpta sunt: nihilque præter *Cappadocas*, idque inter *exedra*, subactum. (XIV) *Dicacitatem* aliquantò acerbiolem, quàm bonum virum, aut Principem deceret: ut cum *Diogenem Grammaticum*, qui olim *Rhodi* venientem, ut se extra ordinem audiret, non admiserat, ac per servulum in

cap. 46, 47
48.

v. Suet. c. 57.
& 48.

1. A. 75, 2.
lib. 57. p. 607.

Suet. c. 49.

lib. 7. hist. Rom.

Tac. 4. A. 67,
1. & 4.

Suet. c. 66.

Tac. 4. A. 31, 3.

Suet. c. 32.

in

in septimum diem distulerat, postea Princeps Romæ salutandi sui
causa pro foribus adstantem, ut post septimum annum rediret, ad-
monuit: cum item in senatu, Pompejo cuidam, quiddam perne- Id. cap. 57.
ganti, dum vincula minatur, affirmavit fore, ut ex Pompejo Pom-
pejanus fieret; acerba cavillatione simul hominis nomen incessens,
veterumque partium fortunam. Alia hujus acerbitalis exempla
suppeditabunt Suetonius cap. 52. 57. 61, Dio lib. 57. p. 611. lib. 8.
pag. 636. (XV) Timiditatem. Multa enim, quæ non erant me-
tuenda; alia verò, quæ erant, cum terrore (δειῶς) & supra mo- Dio l. 57. p. 604.
Tac. l. 1. A. 20, 4.
& 4. 4. 70, 6.
dum, metuebat: etiam ex optimis periculum sibi metuens, & tre-
pidam sibi vitam esse (ob Agrippinam scil. & Neronem, Germa-
nici uxorem ac filium) etiam litteris ad senatum professus. Ad-
de Sueton. c. 12. 63. 64. 65. 73. Tacit. 1. A. 6, 4. c. 7, 6. 4. A. 40, 2. & c.
(XVI) denique Eruditionem ineptam, & quæ vel privatum ge-
nerosioris animi, nedum Principem dedeceret. Inerat ei scien- Victor Iunior.
Suet. c. 70.
tia literarum multa; artes liberales utriusque generis (i.e. Græcas
latinasque) studiosissime coluerat. Benè, si modum tenuit, cun-
ctaque usu mensus est. Composuit & carmen lyricum: fecit &
Græca poemata. Neque hoc omninò malè, si rarò fecit & per o-
tium: etsi non optimè, nec satis ex dignitate personæ, quam
sustinebat. Maximè tamen curavit notitiam historię fabularis
usque ad ineptias atque derisum: Hoc pessimè; Quemadmodum
& illud, quod Grammaticos præcipue appetebat, ac ejusmodi ferè
questionibus experiebatur: Quæ mater Hecuba; quod Achilli no-
men inter virgines fuisset; quid Sirenes cantare sint solite: Quid
enim hæc ad rempubl. cujus præcipua cura Principi esse debet.
Adeò quidem futilia sunt ista, ut ne quidem scholastico homi-
ni utilitatem ullam adferant. Illa verò planè ridicula; quòd
quo primum die, post excessum Augusti, curiam intravit, quasi pie- Suet. l. 62
tati simul ac religioni satisfacturus, Minois exemplo thure quidem
ac vino, verùm sine tibicine supplicavit; ut ille olim in morte filii;
quòd Monopolium in senatu nominaturus, prius veniam postula- Idem c. 71.
vit, quod sibi verbo peregrino utendum esset: quod in quodam de-
creto Patrum vocem ἐμῆλνυα commutandam censuit: denique,
quod, cum Edictum proposuisset de strenuis, in eo voce non Latinâ Dio l. 57. p. 613.
usus, ejusque in mentem ipsi noctu venisset, omnes talia probè callen-
tes

tes (τὰς τοιαῦτα ἀποβῆντας) acciri iussit, consilio ipsorum hac in re usus. Quæ religio si hodie Principum animos occuparet, bone Deus! quot Grammaticorum conciliis opus esset, qui de tot peregrinis, aut saltem non Latinis, vocibus ac formulis, quibus passim Edicta, similiaque publicæ auctoritatis scripta, sine ulla necessitate obscurantur, sententiam dicerent. Nunc securis, hac quidem parte, planeque otiosis esse licet: cum in eiusmodi scriptis formulisque componendis paucissimi sint de eo solliciti, ut purus & Latinus, & quod in his talibus vel maximè curari debebat, perspicuus sit, quo utuntur, sermo.

§. LVII. Explicatis Virtutibus ac Vitiis Tiberii, sequitur, ut paucis (quod sexta Dissertationis hujus parte nos facturos esse, polliciti sumus) nonnullas illius *Artes & Arcana*, quibus principatum suum stabilivit, recenseamus. Sive malis *Flagitia Dominationis* appellare: quod nomen planè merentur. Non quod omnia Arcana politica, quæ vocantur, illicita ac flagitiosa existimem: (scio enim nihil culpæ in eâ voce, si rectè accipiatur, latere; ac præter innoxiam ejus significationem fieri, quod nonnulli pravas imperantium artes, & quicquid sceleris ac flagitii, contra omne jus & fas, vel persuadere aliis, vel ipsi patrare hodierni pseudopolitici solent, sub hoc titulo & integumento occultare student: neque reprehensionem mereri artes politicas, sive Arcana imperii, si intra suos limites, h. e. intra pietatis, religionis, fidei, justitiæ & naturalis honestatis fines sese contineant: immò nec illud negaverim, inter artes Tiberii fuisse quasdam, quibus etiam boni Principes quandoque uti solent:) sed quod eæ artes quas Tiberius adhibuit, aut omnes, aut pleræque, si non suâ naturâ flagitiosæ fuerunt, (quales tamen plurimæ fuisse deprehenduntur;) saltem ex proposito & scopo utentis labem contraxere. Præcipuum enim Ejus consilium, consiliorumque omnium finis & ratio ultima, nil aliud erat, quàm licentia Principatus, & liberrima ac sine fine dominatio. Cui obtinendæ quæ destinabantur artes, quid aliud, quam flagitia dominationis & arcana tyrannica esse potuerunt?

Tac. A. H. 8, 6.

sine fine dominatio.

§. LII. Ceterum neque tempus nec instituti nostri ratio patitur, ut omnes Tiberii artes, quæ facile justum volumen implerent, persequamur. Quare paucas tantum, & præcipuas aliquot, prout quæque illarum menti se offeret, non tam exponemus, quam breviter signabimus: indicatis subinde melioris notæ scriptoribus, unde plenior ipsarum cognitio, cum in hypothesi, tum in thesi, peti queat. Earum alias *Generaliores* appellare libet, quippe quibus per omnem vitam, ac in omnibus propemodum negotiis atque actionibus suis, usus est: alias *specialiores*, & certis tantummodo negotiis, certisque propositi Tiberiani partibus, ut ita dicam, accommodatas.

§. LIX. Generales duæ sunt præcipuæ: *Singulare simulandi dissimulandique, ac sua omnia occultandi studium*, &, quod inde magnam partem natum fuit, *Artificium sermonis*. De priore Tacitus valde emphatice: *Nullam, ait, æque Tiberius, ut rebatur, 4. A. 71. 3. ex virtutibus suis, quam dissimulationem, diligebat. eo ægrius accipit recludi, quæ premeret. Et alibi: Jam Tiberium corpus, jam vires, nondum dissimulatio deserebat. idem animi rigor, sermone ac vultu intentus, quasita interdum comitate, quamvis manifestam defectionem tegebat. Rursus alio loco, nepotem ejus Caligulam 6. A. 45. 8. simulationum falsa in sinu avi perdidicisse, scribit. Reliqua ejus loca, huc pertinentia, jam supra §. 27. indicavimus. Quantum autem, & quam singulare plane atque inusitatum hoc ejus simulandi studium fuerit, egregie docet Dio, cujus verba (quorum partem Victor uterque, sed magis junior, itemque Joannes in Exc. Peiresc. p. 801. Antiochenus, & ex eo Suidas, expreslerunt,) etsi prolixiora, tamen, quoniam in primis huc faciunt, non verebimur adscribere. Tiberius, inquit, prorsus singulari ingenio erat. Nam neque lib. 57. print. præ se ferebat, quæ cuperet, & eorum quæ diceret, ferme nihil volebat: sed sermonibus ab animi sui sententia diversissimis utens, negabat quæcunque appeteret; contra ea quæcunque oderat, amplectebatur. Iratus, quum minime succenseret; æquo animo, quum maxime indignaretur, esse videbatur. Miserebatur, scilicet, eorum quos acerbe puniebat; iis, quibus ignoscebat, difficilem se prebebat. Inimicissimos quandoque eo vultu, quo solemus familiarissimos; amicissimos, tanquam alienissimos intuebatur. Ad summam, haud æquum*

æquum esse censebat, Principis sensa patere aliis. Id enim si fiat, multas magnasque res perperam; sin, multo plures majoresque feliciter geri dicebat. Ac si hac quidem sola in Tiberio fuissent, facile cavere, sibi ab eo poterant, quibus cum illo negotium erat. (Ὁ Φύλακτος ἄν τοῖς ἐς πείραν αὐτῶ ἐλθῶσιν ἦν. sic enim, non ἀφύλακτος, ut vulgo editur, legendum esse, clare ostendunt, quæ sequuntur.) Cuncta enim in contrarium accipientes, si quid nollet, id eum omnino cupere; contra, si quid cuperet, id minime eum expetere, judicassent. Nunc autem irascebatur, si quem mentem ejus adsequutum esse constaret: multosque non aliud ob crimen, quam quod se intellexerant, necavit. Adeo ut periculosum quidem esset, ne utquam mentem illius adsequi; (multi namque dictis ejus, non voluntari ad sensu offendebant:) sed periculosius intelligere. Suspectabantur enim (qui intellexerant) tanquam si propositum ipsius deprehendissent, molestæque adeo ferrent. Itaque fere is solus (quod rarissimum est) evaderebat, qui nec ignoraret ingenium ejus, nec argueret. Sic enim neque fidem ei habentes decipiebantur, nec, ostendentes se intelligere quæ agebat, odium ejus incurrebant. Plurimum enim molestiæ exhibebat, sive quis adversaretur dictis illius, sive ad stipularetur. Quippe cum aliud revera fieri, aliud velle videri cuperet; omnino quosdam in utramque partem habebat adversantes: eoque alios veritatis, alios opinionis causa oderat. Hæc Dio, prout nos quidem verba ejus ex Græco vertimus. nam Xylander pleraque parum fideliter transtulit; nec emendavit, quod alias solet, Leunclavius. quemadmodum nec alii, qui hunc locum adduxerunt. Exempla eorum quæ heic traduntur, passim alibi Dio, sed multo plura Tacitus, suppeditabit. Utrinque vero facile apparebit, Tiberianas simulationes plerasque non ex earum numero, quæ aut defendi ut licitæ, ac in exemplum proponi Principibus, aut saltem necessitate vel insigni utilitate excusari queunt, (tales enim esse quasdam, negari non debet:) sed plane enormes, atroces, ac tyrannicas adeo fuisse: quippe quæ non tantum cuncta fraudibus ac dolis implicuerunt, nullaque ratione caveri potuere, sed etiam tot odia adversus viros bonos atque illustres, totque eorum neces denique genuerunt. Adde, quod ferè non alia fini quam obtinendæ dominationis,

vid. Grot. de I.
 B. & P. 3, 1, 3,
 & seq. Lips. 4.
 pol. 14. Saa-
 wedr. symb. 43.
 Vernula ad Tac.
 Ann. 4, observ.
 25, 61.

sup-

supprimendæque libertatis causa, sunt adhibitæ. Ne nunc dicam, sæpè nimias & ineptas, maleque dissimulatas fuisse: de quo aliquid monebimus infra, ubi de solœcismis Tiberianis agemus.

§. LX. Cum *Artificium Sermonis* nomino, intelligi volo omnes illas artes, quibus orationem suam partim naturæ & ingenio suo, partim Rationi status & dominationi, dominationisque consiliis, accommodavit Tiberius. Huc igitur referenda (i.) *Ars qua verba expenderet*, quam non minus, ac Cæsar & Augustus, *callebat*: hoc est, non, ut Nero, & plerique eorum qui post eum rerum potiti sunt, *aliene facundia egebat*; sed ipse eloquentia, quanta ad tuendam personæ suæ dignitatem resque gerendas opus erat, pollebat. De hac enim potius, quam de *verbis antequam pronuntiarentur expensis* (de quibus *Brochmandus* accepit) hunc locum accipiendum esse, contextus orationis Cornelianæ ostendit. Etsi interim negare nolumus, probe verba expendisse Tiberium, priusquam proferret. De quo paullo post. Est autem *Eloquentia* non tantum *maxime ornamento Principibus*, (ut *Cicero* ait:) sed etiam *precipuum illis reip. gerendæ adjumentum*: eoque omnino necessaria, si quidem cum dignitate & suâ subditorumque utilitate præesse velint. Qua de re præclare disserit *Manuel Paleologus*, Imperator doctus æque ac prudens, in utilissimo, sed paucis noto, libello *Educationis regie ad Joannem filium, oratione 1.* E qua duo egregia loca excerpfit *Tob. Magirus*. Add. *Plutarch. in præceptis ger. reip. haud longe ab initio, Lips. not. ad 1. polit. 10, 16. Saavedr. symbol. 4. §. antepenult.* Cujus postremi iudicio, *Princeps, qui alterius eget opera, ut quæ secum ipse reputat, eloquatur*, (quales plurimos ab omni ævo reperire est) *statua e linguis potius est, quam Principis dignus nomine.* Acris profecto censura! Quæ tamen minime, puto, notat eos Principes, qui non tam ob sermonis (ut ita dicam) egestatem, quam ex more aulico, & consuetudine hodie universis propemodum Orbis Principibus recepta, (cujus unam alteramque causam tetigit *Bœcler9 diss. Academ. 3. pag. 129*) aliena eloquentia utuntur. Quanquam & *Lipsius* haud multo mitiore sententiâ scripsit: *Infantem esse Principem, turpe, & detrahit*

Tact. 13. A.
3, 5.

Eth. charact.
pag. 258.

4. de finib.
Forstn. ad Tac.
13. A. 3.

in Polymnem.
tit. Eloquentiæ
num. 49.

loc. cit.

trahit auctoritati. Qualis autem esse Principum eloquentia, quibusq; virtutibus oratio illorum elucescere debeat, breviter docet idem Lipsius, sed prolixè & egregie, ut omnia, Bæclerus in dissert. modo laudata.

Tacit., l. 1.

2, 9, 5.

15, An. 67, 3.

4, A. 21, 4.

Tac. 6, A. 3, 1.

Id. 3, A. 67, 3.

Tac. 13, A. 3, 5.

Id. 1, A. 33, 4.

3, A. 11, 5.

Inclon. c. 24.

di. Acad. 3.

p. 127.

§. LXI. Eodem pertinet (II.) quod *validus sensibus* erat: h. e. ut ego interpretor, (nec enim habeo, quem præeuntem tuto sequar:) non tantum delectu verborum (quæ *expendere* solebat) uti norat; sed etiam rerum, argumentorum, sententiarumque id pondus ac robur, ea species orationi ejus, quoties hoc agebat, inerat, ut audientium animos alte penetraret, efficaciter permoveret, ac veluti stimulos quosdam in illis relinqueret. *Sensus* heic *verbis* opponuntur, ut apud *Vellejum*, cum Pomponium, Atellanarum scriptorem, *verbis rudem, sensibus celebrem* vocat. Simili fermè ratione *Tacitus* alibi *militaris viri sensus incommos, sed validos* dixit verba Subrii Flavii tribuni, quibus Neroni coram odii in eum, quod profitebatur, causas objecerat: *parricidam, aurigam, & histrionem, & incendiarium* appellans. Eodem vero sensu *validum orandi* dixisse videtur Cassium Severum, qui (ut ait auctor dialogi de *Oratorib. c. 26.*) *plus vis habebat, quam sanguinis, ac virium robore multum ceteros, qui post ipsum claruerunt, superabat.* Ceterum ejusmodi *validos sensus* passim in orationibus, epistolis, edictis Tiberii deprehendere est: ut apud *Tacitum* 1. A. 73. 2. A. 26. 36. 38. 43. 3. A. 6. 47. 53. 4. A. 8. &c. Huc etiam referri potest *orationis vehementia*: ut cum Junium Gallionem *vehementer increpuit*; cum C. Silanum *premens voce, ac ipse creberrime interrogans, ad confessionem objecti criminis adegit, &c.*

§. LXII. Ad idem sermonis Artificium referri debet, quod (III.) plerumque *consulto ambiguus* fuit. Quo pertinet *obscurus illius sermo*; ac *suspensa semper & obscura verba, etiam in rebus quas non occuleret, usurpata*; quoties vero *niteretur, ut sensus suos penitus abderet, in incertum & ambiguum magis implicata*; itemque *ambigua responsa, quibus precantem senatum, ut imperium susciperet, suspendebat.* Erat autem ista ambiguitas proprie (ut bene observavit *Bæclerus*) non tam *orationis obscuritas, per ea proveniens, quibus perspicuitas sermonis impeditur,* (quan-

(quanquam nec ea plane ab oratione illius abfuit: quippe exo-
 letas interdum ac reconditas voces aucupabatur, atque affectatione
 & morositate nimia obscurabat stylum:) quam rerum occultatio,
 qua, etsi dilucidis verbis, aliquid ex negotio ipso, quod tracta-
 batur, subtrahere, forma non sua proponere, parum concilia-
 re, aut quovis modo immutare consueverat: adeo ut qui lo-
 quentem audiebant, non perciperent mentem ejus, sed inter
 diversos sensus velut incerti fluctuarent, ac ambigui relinque-
 rentur. Quod ut obtineret, modo varie differebat, more falso-
 rum, quibus nunquam constantia est, sed variantur ac dissident;
 modo meditato temperamento sic permiscebat invicem & con-
 fundebat argumenta in utramque partem, ut vix perspiceres,
 in utram propenderet. Sæpe etiam prolixitate orationis men-
 tem suam obtegere studuit: haud ignarus, multorum verbo-
 rum interpretationem, (ut ait Demetrius Phalereus) pro singulorum
 voluntate & ingenio huc illuc trahi posse. Sed plerumque, dum
 non posuit orationi modum, simulationem prudentioribus, & in-
 genii ejus gnaris, prodidit. Adeo quidem, ut aliquando qui-
 dam patientiam rumperent, atque unus proclamaret, Aut agat, aut
 desistat, &c. vid. Brochmand. pag. 258. & seqq. Exempla ambi-
 guitatis hujus si desideras; dabit oratio, qua Sejano, matrimo-
 nium Liviae petenti, respondit, apud Tacit. 4. A. 40. cujus arti-
 ficium prolixè detexit Brochm. p. 261. & seqq. quæque in exem-
 plum ire possit formulæ scite negandi. Dabit item verbosa &
 grandis epistola, Capreis ad senatum de Sejano missa: in qua ni-
 hil confertim contra Sejanum continebatur; sed aliæ principio res;
 dein brevis ejus insectatio; tum rursus aliud quiddam; iterumque
 aliud contra Sejanum; in fine duos senatores, Sejani familiares, ple-
 tendos, Sejanum in custodia habendum, dicebat. ejus anfractus
 pariter recludit Brochm. pag. 265. & seqq. Dabunt præterea duæ
 orationes in Senatu; una in causa Pisonis, arrepta omni civita-
 re, satim cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius, an promeret, me-
 ditato temperamento habita: altera, cum SOLITIS SIBI AM-
 BAGIBUS apud Senatum incusavit supplicium C. Lutorii Prisci,
 majestatis damnati: extollens pietatem quamvis modicas Prin-
 cipis injurias acriter ulcipientium, deprecans tam precipites ver-
 borum

Suet. Aug. c. 86. & Tit. c. 70.

Tac. 1. A. 11, 2.
Senec. ep. 102.
Tac. 3. A. 12, 1.

lib. 1. de Elo-
cut.

4. A. 9, 10.

Suet. c. 24.

Juvenal. satyra.
10, 71.

v. Dio Cass. l.
58. p. 627.

3. A. 11, & 12.

3. A. 51.



borum pœnas: laudans Lepidum, mitioris sententiæ auctorem, nec Agrippam, qui duriora censuerat, arguens. quod tanquam insigne exemplum obscuritatis Tiberianæ, qua tanquam laqueis incautos senatores innexuit aut subvertit, & seviriã suã intendit pariter ac dissimulavit, etiam adnotavit Bœclerus ad Tac. 1. A. 11. annot. 2. Hunc scilicet finem plerumque perplexa illa ambiguitas, & sermo non index animi, sed mango, semper aliorum simplicitati juxta & prudentiæ vel imminens, vel imponens, habuit: eoque merito inter artes tyrannicas numeratur. vid. Bœcler. l. c. pag. 227. Clapmarius tamen quædam ejusmodi verborum involucria, etsi sine culpa non sint, fortasse tamen, si accurate consideres, quo loco tum ipse erat Tiberius, tum Romana respublica, non tantopere detestanda censet. Cui facile adsentior. Nam quod v. g. in responsione ad Sejanum, in epistola de eodem ad Senatum missa, & in alia ad seditiosas legiones, (de qua Tacit. 1. A. 25.) solitis ambagibus usus est, si non laudari, saltem excusari potest. Neque enim negari debet, posse aliquando etiam à bonis Principibus ac sine flagitio usurpari perplexos sermones & suspensa atque ambigua responsa: ut cum non satis informati sunt de rebus quæ tractantur; cum, quod petitur, maturam deliberationem requirit, aut sine periculo denegari, sine damno concedi nequit; cum illi res est cum exploratoribus aut callidis, legationis aut alia specie accedentibus, &c. vid. denuo Bœcler. l. c. p. 227. & seqq. Lipsius ad 2. pol. 10, 16. & Mutius considerat. 57. ad Tacitum. Varios ambiguum ejusmodi responsorum modos, variaque exempla habes apud Frid. de Marselaer Legati in 2, 39.

Tac. 1. A. 81.

5. 2. A. 37. 1.

1. A. 52, 2.

Bœcl. diff. 3. ad

Suet. th. 21. &

ad Tac. 1. A. 7.

annot. 5.

2. A. 37. 1.

§. LXIII. Ad idem Sermouis artificium pertinent (IV.) *speciosa verbis, re inania, aut subdola; favorabilis in speciem oratio; & magis in speciem verbis adornata, quam ut penitus sentire (à prudentibus) crederetur. Scilicet ubique prætendebantur & jactabantur securitas & decus imperii, libertas populi, auctoritas senatus, publica honestas, publicæ opes, publica felicitas, cura & amor in cives, tolerantia onerum ac laborum, offensiones ob salutem publicam susceptæ, &c. Idque ex fundamento & ratione status regii. Interim ipse vim imperii tenebat. Exempla passim*

passim suppeditat Tacitus, ut 3. A. 54, 10. 4. A. 8, 2. 6. A. 15, 5. &c.
 Huc quoque refer, quod de se modeste, de repub. magnifice
 loquebatur: ut 1. A. 11, 2. 3. A. 6, 5. &c. vid. Bæcl. ad 1. A. 11. an-
 not. 7. Item, quod scelera nuper reperta priscis verbis obtegere so- 4. A. 19, 3.
 lebat. de quo infra plura. Quæ tamen omnia sic temperabat,
 ut quandoque magniloquentiam adhiberet, ac ut princeps lo-
 queretur, v. g. 3. A. 42, 2. & 5. cap. 33, 4. &c. (V.) Meditatus & 3. A. 12, 1. 4.
 compositus sermo, quodq; verba, quæ pronuntiaturus erat, una 4. A. 31, 3. 13. 16.
 cum rebus dicendis curate expendere. Qua cura illi omnino 3, 5.
 opus erat: quod sciret, sibi cum prudentibus atque intelligen-
 tibus negocium esse, quos ut falleret, multa cum cautione ac
 circumspectione loquendum sibi animadverterebat. Estque hæc
 sollicitudo necessaria omnibus, qui aliud ore præferunt, aliud
 corde fervant. Semper enim vereri habent, ne deprehen-
 dantur. vid. Mutius consid. 31. Sed & Principibus in univ. sum, add. Querin.
 non una causa, magna in omni sermone, tam privato, quam nel Blannale de
 publico, adhibenda cautio est, ne quid excidat illis, quod vel Grandi fol. 8.
 pudori esse, vel periculo possit. vid. Saavedr. Symb. 11. Qua in in Aug. c. 84.
 re singularis plane fuit Augusti cura, Suetonio memorata: quam
 à vanitatis suspitione liberavit Bæcler. diff. Acad. 3. p. 125. seq.
 Sane haud raro periculo, immo exitio, fuit vox incautius emis-
 sa. Exemplo sunt Galba 1. Hist. 5, 5. & Claudius 12. A. 64, 3. (VI.)
 tardissimus sermo, ac suspensa semper & velut eluctantia verba. Suet. c. 68.
 Causa eadem, quam meditata orationis fuisse, modo diximus. Tac. 1. A. 11, 5.
 Solutius tamen promptiusque eloquebatur, quoties subveniret. Tum 4. A. 31, 3.
 enim ex animi sententia loquebatur, aut saltem videri volebat
 loqui. Quemadmodum & magis fida oratio ejus est habita, cum 1. A. 52, 3.
 brevior erat. Nam ea brevitate quasi simplicitatem mentis
 profiteri videbatur. vid. Brochm. pag. 153. Et est alioqui bre-
 vitas inter virtutes regii sermonis, de quo Saavedra l. c. §. Quod 6. A. 2, 5.
 si. (VII.) Quod verbis moderabatur, si alicujus in senatu sententiæ 2. A. 34, 2.
 obloquebatur: immo mitibus verbis permulcebat, quos non au- 2. A. 18, 3.
 debat acerbius increpare. Ne quidem erga eos verbis commo-
 rior, quos perditum ibat. Atque hæc omnia, ne ira sua atque
 indignatio patefceret. (IIX.) Denique, quod sermone Græco, Suet. c. 72.
 quanquam alias promptus & facilis, non tamen usquequaque usus est:
 abstinuitque maxime in senatu: militem quoque, Græce testimoni-

um interrogatum, nisi Latine respondere vetuit. quod pariter ad
 suam ac reip. existimationem faciebat. vid. *Forstn. ad Ann. 2.*
Tacit. pag. 159. Atque utinam & Germani nostri idem observa-
 rent Nunc multos Procerum pariter ac Ministrorum, ut pri-
 mum aliquam Gallici vel Italici idiomatis peritiam consecuti
 sunt, non tantum inter externos, sed in ipsa Germania & in-
 ter cives, pæne pudet sermonis patrii: magno cum detrimen-
 to majestatis Germanicæ apud nationes alias. Eodem perti-
 nebat, quod Tiberius in Edictis & Decretis Patrum peregrinas
 voces poni noluit. Meritoque à cordatioribus risu excepta sunt
 dicta Græca, quæ Claudius Imp. apud milites & senatum jacere so-
 lebat. Qua parte pariter à nostris hominibus hoc sæculo pec-
 cari cœptum est: cum passim pæne ad tertium quodque ver-
 bum Germanicum Gallica aut Italica insererent non tantum
 earum liugarum periti, sed ii quoque qui ne quidem recte
 pronuntiare voces exoticas didicerant. Non sine malo omi-
 ne, & nota agræ corruptæque reipublicæ: cujus haud dubium
 indicium censent prudentes, si peregrinitatis amor in tantum
 invaluit, ut domestica fastidio sint, nisi peregrinæ salivæ gustu
 irrigentur. De qua confusione passim exstant querelæ corda-
 tiorum. Sed bene est, quod impetus iste proximis annis paul-
 latim refrigerare, ac apud plerosque prisicæ gravitatis & nito-
 ris amor redire cœpit. Quam temporis nostri felicitatem, ma-
 gnam partem laudabili studio illustrissimæ CARPOPHORO-
 RVM SOCIETATIS deberi, sine nota ingratitude dissimula-
 re non possumus.

*Suet. l. 6. & Dio
 ll. 57. p. 613.*

*Bæcl. ad Tac. l.
 A. 7. p. 115.*

§. LXIV. Artificio Sermonis affine est *Artificium silendi.*

Plin. 7. epist. 6. Neque enim minus interdum oratorium est tacere, quam dicere.
 Estque & silentium haud infrequenter inter artes politicas:
 quippe, ἀπορησις, ut ajebat *Menander*, ἐρημνεὺς λόγων, *abditus*
sermonum interpretes, & quod, secundum *Euripidem*, πολλοῖς ἀπό-
 κρησις τυχεύει, *multis responsi loco contingit.* Sane *Meleager*
silentium Alexandri pro imperio habuit: & *Aristænus Achivorum*
prætor, eo ipso, quod ad verba Q. Cecilii (Achivos ob male tra-
ctatos Lacedæmonios reprehendentis) taceret, palam fecit, dis-
plicere sibi quæ facta essent, & probare se orationem Cecilii. Hac
 igitur

*ap. Stoba. serm.
 34.*

Curt. 10. 8. 1.

*Polyb. Excerpt.
 Legat. 41.*

igitur arte & Tiberius subinde usus est. Ut statim initio occupati principatus, cum de cæde Agrippæ nihil apud Senatum *dis-* Tac. 1. A. 6. 2.
servit: tanquam rem nihil ad se pertinentem callido silentio & ibi Bacler.
transmittens, ne vel excusando vel referendo agnoscere faci- annot. 3.
nus, & in alios transferre velle videretur. Sic, cum de jure puniendi histriones Asinius Gallus & senatus cum Haterio Agrippa Trib. pl. contenderent, *silebat Tiberius, qui ea simulacra* 1. A. 77, 24
libertatis senatui præbebat. Quanquam heic & alia causa vide-
tur accessisse: nempe ut eo silentio velut aleret ac foveret con-
tentiones senatorum. de quo mox plura. Simile exemplum
habes 2. A. 35. *Silentio quoque trans mittebat, quibus implacabi-* 2. A. 13, 5,
lius irascebatur. Atque hoc est illud silentium tyrannicum, quod
etiam in Domitiano & aliis notatum est. Alia rursus causa
fuit, quod Agrippinam, Germanici viduam, *petentem ut mari-*
tum sibi daret, haud dignarus, quantum è rep. peteretur, sine respon- 4. A. 53, 3.
so, quanquam instantem, reliquit: ne scilicet offensionis aut metus
manifestus foret. Quod pertinet ad *Artem scite & sine offensa*
negandi; cujus varios modos collegit Forstnerus. Denique u- not. ad Tac. 12,
niversim Tiberius *nullo aut rarissimo etiam cum proximis sermone* A. 46.
erat. Quod non magis à natura illius morosiore, quam à stu- Suet. c. 69.
dio omnia sua occultandi, metuque ne quid illi excideret, per
quod abditi sensus sui deprehenderentur, provenisse puto.

§. LXV. Hæc de Artibus generalioribus. *Specialiores* cum plerasque passim Interpretes Taciti, scriptoresque politici alii, explicuerint, neque nunc liceat nobis prolixè persequi: suffecerit nude, & veluti per indicem recensuisse; laudatis ad singulas scriptoribus, à quibus aut breviter adnotatæ, aut uberius sunt expositæ. Possunt autem pro diversitate finis, quem sibi quæque præcipue & proxime propositum habuit, ita distribui, ut quædam *ad securitatem cum personæ tum principatus Tiberii*; aliæ *ad conciliandum illi amorem senatus, populi, militum, aut præcavendum minuendumve eorundem odium*; rursus aliæ *ad augendam auctoritatem effugiendumque contemptum*; nonnullæ denique *ad obtinendam stabiliendamque absolutam dominationem, summam votorum Tiberianorum, comparatæ dicantur.* Sic tamen, ut neutiquam negetur, quasdam ex illis ad plures fines,

K

aut

aut etiam ad omnes consequendos fuisse adhibitas. Nam & fines ipsi ita subordinantur invicem, ut duo medii ad primum, ad postremum autem priores omnes, quodammodo se habeant ut media, quam ob causam & supra §. 57. artes Tiberii universim ad Flagitia dominationis, sive Arcana tyrannica referri posse, diximus.

§. LXVI. Quæ pro obtinenda securitate usurpatæ sunt, aliæ sub initium occupati Principatus, aliæ, postquam adeptus esset, sunt adhibitæ. Prioris generis hæ sunt. (I.) primum novi Principatus facinus, cædes Postumi Agrippæ, suspecti & invidi sibi Livixque juvenis, metu, ne imperium sibi præriperet, nondum palam facto excessu Augusti, festinata: quem ignarum inermumque tribunus militum custos adpositus, lectis codicillis, à Sallustio Crispo, secretorum Cæsaris particeps, Nola missis, quibus ut id faceret, jubebatur, opera, ut videtur, centurionis (sic enim Suetonio conciliandi Tacitus ac Dio:) occidit: patris iussa, per sparsos rumores, simulante Tiberio, quibus præscripsisset Tribuno, ne cunctaretur Agrippam morte adficere, quandocunque ipse supremum diem explevisset. Neque vanum fuisse hunc metum, facile colligas ex favore populi ac militum erga Augustum, cujus ille nepos erat; ex consilio item Pseudagrippæ Clementis, ap. Tacit. 2. A. 39, 1; ex studiis multitudinis erga eundem, ibid. c. 40, 1. è superbis seditiosi militis vocibus, 1. A. 31, 5. cui multo gratiora futura erant Agrippæ juvenus, & robur corporis, & trux ac ferox ingenium, quam Tiberii senectus. Præterea Livix artibus à spe imperii depulsus, & abdicatus ac projectus in insulam, ulturus injuriam videbatur. Denique, ut verus Augusti sanguis, potiori jure imperium mereri putabatur, quam Tiberius, qui per uxorium ambitum & senili adoptioni irrepserat. Quo solo nomine, etiamsi reliqua abfuissent, tollendus erat: ex regula novi Principatus ac tyrannidis, quæ neminem ferre potest, qui fortiori jure in imperio nati se existimat. Neque hoc casu custodia, exilio, aliisque artibus, quibus Principes adversus eos utuntur, quos metuunt, satis cavetur securitati novi Principatus. vid. Boccalin. Relation. ex Parnasso 2, 33. Clapmar 5. Arcan 2. Forstner. ad Tac. 1. A pag. 19. & 31. Bœcler. Comment. ad eund. Tac. 1. A. 6. annot.

Tacit. 1. A. 6.
Suet. c. 22 Dio
57. p. 604.

v. sup. §. 9. 12.
14. & 17.

1. A. 7, 7.

annot. 1. *Lentul. Arcan. regn. cap. 11. p. 227. &c.* Dissimulationis
 Tiberianæ hoc in negotio vafritiem explicat idem *Bæcler. annot.*
 3. (II.) quod *Principatum neque occupare confestim, neque agere* Suet. c. 14. v.
dubitavit: h. e. statim ab excessu Augusti ea invasit, quæ vim & sup. §. 10.
 robur principatus complectebantur; nec occupavit tantum,
 sed etiam ostentavit, ut metum adversariis atque æmulis incu-
 teret. quod pariter novo Principi inter præcipua consilia esse
 debet. v. *Mutius ad An. 1, Tac. consider. 30.* Quo pertinet, quod
stationem militum, h. e. vim & speciem dominationis adsumsit. Mi- Suet. l. c.
les in forum, miles in curiam comitabatur: splendori ac præsidio Tac. 1. A. 7. §.
 Tiberio, patribus terrori futurus. Nam & hoc inter arcana Dio 57.
 novi principatus est, ut Princeps præsidium militare, idque sæ-
 pe milite externo constans, secum ubique circumducatur. vid.
Clapmar. 3. Arcan. 14. Lips. 4. polit. 7. Boxhorn. Institut. polit. 2, 3,
3. Lentul. Arcan. c. 5 p. 145. & c. 12. p. 238. Apud Romanos huic
 rei destinatus erat miles prætorianus: cujus instituti varia Ar-
 cana exposuit *Bæcl. ad Tac. 1. A. 7. annot. 2. add. Savilium lib. de*
Militia Rom. pag. 429. sqq. Item, quod *signum prætorii cohorti-* Tacit. l. c.
bus dedit ut Imperator. Nam hoc quoque, singulari domina-
 tionis arcano, solis Principibus licebat: quemadmodum &
 adloqui eosd. prætorianos nemini privato concessum erat. v.
Clapmar. 3, 8. Bæcler. l. c. annot. 7. & nuperus Auctor notarum ad
Hygin. & Polyb. de castris Rom. (quem puto esse Rabodum Herm.
Schælium) pag. 291. Denique *Excubia, arma & cetera aula,* h. e. Id. l. c. & ibi
 universus apparatus aulicus, eundemque dignitatis imperatoris Lips. n. 48. 49.
 insignia, quæ Augustus in decus monarchiæ adhibuerat, ad- Bæcler. annot. 6.
 sumpta. (III.) Quod *statim Nola ad exercitus & provincias omnes,* Dio 57. p. 602.
ut Imperator, seu (ut Tacitus emphatice) tanquam adepto Princi- Tac. l. c. & ibi
patre, litera misit. Nec enim æque militem, figmentorum i- Lentul. Arc.
 gnarum, ac Senatui ludificari tutum erat. Præterea exercitus regn. p. 237.
 pariter ac provincias in primis sibi devinciendas animadverte-
 bat, antequam Germanicus occuparet. (IV.) Quod per ido-
 neos homines (id enim ut credamus, suadet ingenium Aula ac
Livia) clanculum effecit, ut Consules in verba sua jurarent. apud Tac. 1. A. 7. 2.
que eos præfeti prætoriarum cohortium & annonæ, (quorum ope-
 ra miles & plebs in officio contineri, sibi que conciliari pote-
 rant,)

rant) & mox senatus milesque ac populus: h. e. sacramento se obligarent, se in obsequio plenissimo erga eum mansuros, ejusque salutem ut suam defensuros. Eum enim horum verborum sensum esse, docet *Bœcler. in paraphrasi h. l.* Fuit autem & hic mos pariter singulari Augusti consilio inventoque in firmamentum Principatus, adque fidem subditorum indissolubili vinculo obligandam advocatus. *Nullum enim vinculum ad adstringendam fidem jurejurando arctius esse veteres voluerunt. v. Bœcl. l. c. annot. 1. & Mutium consid. 26. (V.)* Quod ante omnia Augusti testamentum inferri in Senatum, recitarique jussit. Nam id quoque non caruit mysterio. Ipse enim heres instituebatur. quod palam fieri, non parum ipsius intererat. Deinde tertio gradu primores civitates scripserat, plerosque invisos sibi: bona & pecuniam multa multis, etiam nihil ad se pertinentibus; populo quoque, militibus praetorianis ac urbanis, & relique urbanae multitudini magnam pecuniae summam legaverat. quae omnia grata proceribus, populo, militi fore non ignorabat. Inferri autem curavit per virgines Vestae, & ab Augusti liberto recitari; quo major ei fides esset. (VI.) *Accismus*, quo partim dissimulavit, se ad principatum, quem flagrantissime cupiebat, jamque reapse occuparat, adspirare; partim oblatum callida cunctatione, fictaque tergiversatione, diu recusavit. Ad dissimulationem pertinet, quod cuncta per consules incipiebat, tanquam veteri repub. & ambiguus imperandi: quodque ne Edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, nisi Tribuniciae potestatis proscriptione posuit sub Augusto acceptae; verbis usus paucis, & sensu permodesto: ut omnem imperatoriae potestatis suspicionem declinaret. v. *Bœcl. in paraphr. h. l. & annot. 3.* De recusatione adi *Tacit. 1. A. 11, 12, 13. Suet. c. 24. Dion. lib. 57. p. 602. & seqq.* & quae diximus §. 101. Causae Accismi hujus variae, sed praecipuae & huc spectantes, tres. Una, ut eò magis accenderet populum, ac senatum, ut tanquam repugnanti, & publici magis, quam sui commodi studio, imperium deferrent. Altera, ut vocatus electusque potius à repub. videretur, quam per uxorium ambitum & senilem adoptionem irrepisse; adeoque justo titulo principatum obtineret. quo & securitas illi major conciliabatur, & conatus adversariorum

irriti

Cic. 3. offic.

Tac. 1. A. 8, 1.
Dio 56, p. 590.
& seq.

v. Lentul. c. 10.
p. 246. & seq.

Suet. c. 24.

Tac. 1. A. 7, 3.

Id. 1. A. 7, 8.

irriti reddebantur, & existimatio ejus augebatur, & populus denique obsequio promptior, cunctisque illius actionibus æquior fore credebatur. Tertia, ut *procerum voluntates introspeceret*, sciretque adeo, quibus fidendum, quique ex diverso cavendi perdendive essent. Qua fini & primo omnium *de honoribus parentum consuluisse* patres videtur. In his enim decernendis prout quisque promptior aut segnior, ita Principatui æquus aut infestus habendus erat. De quibus omnibus plura *Clapmar. 2, 15. & 16. Boxhorn. Instit. polit. 2, 3, 3. Mutius confid. 33. 34. 61. Lentul. c. 12. p. 239. & c. 13. p. 246. & accuratissime omnium Bœcler. Comment. ad Ann. 1. Taciti.*

§. LXVII. Inter Artes, quibus suscepto imperio securitatem obtinere studuit, istæ potissimæ fuerunt. (1.) Persecutio, oppressio, & subversio eorum omnium, à quibus sibi metuebat. Quales erant (1.) qui ex sanguine Augusti oriundi, aut fœminas ex eod. duxerant. Utrique enim, quod imperio imminere videbantur, ex regula tyrannidis, novique principatus, tollendi erant. vid. *Forstner. ad An. 1. Tac. pag. 19. & 31. Machiavell. Princ. c. 3. & ibi Nobiliss. Conring. p. 19.* Huc pertinet, quod Asinium Gallum suspectabat, *tanquam ducta in matrimonium Vipsania, quæ quondam Tiberii uxor fuerat, plusquam civilia agitaret.* (2.) qui imperii avidi, aut non indigni habebantur. quales cum habiti ab Augusto essent idem *Asinius, & L. Arruntius, variis mox criminibus, struente Tiberio, circumventi sunt.* Quod consilium mire extollit Auctor libri ad imitationem Relationum Boccaliniscripti, cui titulus *La Secretaria di Apollo, pag. 281.* (3.) *divites, prompti, artibus egregiis, & pari fama publice.* quæ dotes pariter Tarruntium perdiderunt, & cum eo multos alios. idque æquè ex instituto tyrannico: de quo, inter alios plurimos, *Forstn. ad Tac. 1. A. 10, 4. A. 72. & 11. A. 1. Clapmar. 2, 23. Boxhorn. 2, 4, 10.* (4.) potentiores. nam & hi semper suspecti Principibus; neque si monarchiam averfantur, facile ad regias partes traducuntur; adeoque tollendi, ne conspirationibus duces se præbeant. v. *Forstner. ad Tac. 11. A. 1. Boxh. l. c. & 2, 3, 3. & c.* (5.) qui ab eo læsi fuerant: in quibus cum nullâ clementiâ extinguì posset odii semel concepti rabies, & cupido vindictæ;

1. A. 13. 4. & 2.
81. 3.

1. A. 12. 6.

Dis 57. p. 604.

Confid. 75.

nulla adversus eos securitatis monumenta supererant, præter carnificem & secures. *Forstn. l. c. Machiavell. l. c. & ibi Conring p. 30.* (6.) qui ipsum offenderant. nam cum scirent ipsius iram implacabilem esse, ab ea se liberaturi, quacunque ratione poterant, credebantur. (7.) *ingenia civilia*, sive popularia, & libertatis amantia, quæ itidem cavenda novo Principatui. *Boxborn. l. c. & passim alii.* (8.) qui *parentum ferociam retinere* videbantur. quod itidem Gallo exitio fuit. Tales igitur plures cum deprehenderet Tiberius, omnes, quoad poterat, aut opprimere aut interficere studuit; non tamen uno impetu (quod *Machiavellus in Princ. c. 8.* ac pæne solus, suadet,) sed paullatim & captato tempore atque occasione: quod multo tutius est. Exempla passim ap. *Tacit. & Dionem* occurrunt, inde petenda. Duo tamen illustria memorabimus. Unum *Germanici Cesaris*, quem cum *valde metueret*, quod populo militique gratus erat, per certos gradus ac intervalla repressit primo, mox, Pisonis opera, evertit. quos gradus compendio recenset *Bœcler. ad 1. A. 7. annot. 9.* sparsim attingunt *Forstn. ad Tac. pag. 129. 138. 142. 207. 211. Bœcl. ad 1. Hist. 8. Mutius confid. 32. 87. Clapmar. 4. 10. Vernuleus ad Tac. Ann. 2. observ. 26.* Causas, sane prægnantes, si conditionem Tiberii rei que publ. spectes, enarrant *Mutius l. c. Forstn. p. 22. 71. 222. & part. 2. p. 197. Clapmar. 3. 3. Lentulus p. 142. 148. & 238.* Quæ si affectati imperii reum non efficiunt Germanicum, saltem imprudentiæ insignis arguunt. Neque est, cur *Mutius* mitioribus remediis, qualibus adversus Maraboduum, Catualdam, Rhescuporin, usus est, uti potuisse Tiberium, existimat. Nam ab illis non erat cur metueret, ne principatu se deicerent. quod à Germanico metuendum erat, ut apparet vel ex *1. A. 31. l. c. 33. 3. c. 35. 4. & c.* Neque tamen cum ipso Germanico desit hic metus: sed etiam in uxorem, fratrem, ac liberos propagatus est. v. *sup. §. 52. & 53.* Neque sine causa, ut docet *Forstn. p. 230. & 362.* Alterum illustre exemplum est *Ælii Sejani*: de cuius artibus, quibus ad tantum Tiberii favorem, tantamque potentiam pervenit; erroribus, quibus utroque excidit; & everfione, subtiliter & callide à Tiberio adornata, præter *Baronem Enenckelium, Pet. Mattheum, & Jo. Bapt. Manzinum*, in peculiaribus

ribus de eo opusculis, videndi *Bœcler. dissert. 3. ad Sueton. à thesi 26. ad fin. usque; Mutius confid. 64. 109. 252. 350. Gabr. Zinan. de rat. stat. 1. 3. Du Refuge parte 2. Tr. de la Cour, ejusque Latinus interpres Pastorius in Aulic. inculp. 6. 21, 6. & seqq. &c.* Nobis enim enumerare omnia non licet. Varia autem instrumenta, variasque artes adhibebat Tiberius, ut suspectos sibi invidiososque subverteret. Inter quæ potissima *Delatores & Accusatores. ac Lex majestatis.* de quibus *supra §. 52. add. Forstn. ad 1. Ann. Tac. p. 101. & seqq. Bœcl. diff. 3. ad Suet. th. 17. & ad Tac. 2. hist. 10. Bernegg. quest. miscell. 149. Clapmar. 5, 15. & 16. Boxhorn. 2, 4, 13.* Reliqua ex ipso Tacito petenda.

§. LXVIII. Deinde (II.) Quod Germanicum & Drusum exercitibus præfecit, ut eorum opera hos sibi addictos haberet. *Vernuleus ad Ann. 2. Tac. observat. 28.* (III.) Quod caviter diligenter, ne quis prætextu religionis res novas moliri posset. Itaque cum *Asinius Gallus censuisset, ut ob inundationem Tiberis libri Sibyllini adirentur,* (fortassis aliquid in illis rimaturus, quod iram numinis in imperium Tiberii portenderet: cui proposito apta erat oraculorum ambiguitas:) *renuit.* Neque permisit magos aut mathematicos de proprio fato consulere: ne quis eo prætextu imperium, ut debitum sibi, invaderet. *Clapmar. 3, 13.* (IV.) Quod primis imperii annis, nunquam *omisit caput rerum, urbem Romam, unde in omnia regimen:* ne absens conjurationibus locum aperiret. de quo novi Principatus arcano *Clapmar. 3. 15. Forstn. ad Ann. 1. pag. 78. seq. Lentul. ibid. p. 458. seqq. Mutius confid. 192. 195. 196. Vernuleus observat. 49. & 50. Boxh. 2. pol. 3, 3. Sæpe interim provincias & exercitus revisurum se pronuntiavit, & prope quotannis profectionem præparavit, ad extremum etiam vota proitu & reditu suo suscipi passus: adeo ut jamjam iturum non vulgus modo, sed etiam sapientes crederent. Causa simulationis, ut metu sui adventus provincias & exercitus in officio contineret. Sic & postea, etsi certus nunquam Capreis in urbem reverti, tamen subinde reditum minabatur. (V.) Quod in legendis ministris & magistratibus nec eminentes virtutes sectabatur; nec sum vitia oderat: ex optimis periculū sibi, ex pessimis dedecus publicum metuens. quod consiliū probant *Lipsius 2. pol. 10, 18. & Gabr. Zina**

Tac. 1. A. 76, 2. & ibi Lentul. p. 603.

Tac. 1. A. 47, 2. & 2. A. 47, 10. Suet. c. 38.

Suet. Tac. 1. & loc. cit.

Di 58. p. 632.

Tac. 1. A. 80, 4.

§. A. 32, 1.

§. A. 11, 8.

Zinanus de rat. stat. 9, 2. nec improbat, si alia quam tyrannica intentione usurpetur, Bœcler. diff. de polit. Lips. c. 5. p. 59. 60. add. eund. ad 1. A. 6. annot. 5. Mut. consid. 304. & Forstner. ad 11. A. 21. p. 61. (VI.) Quod inter destinata illi erat, consiliis & astu res externas moliri, arma procul habere. Nihil enim utilius novo principatui, quam pax & quies, qua stabiliantur. v. Forst. ad Ann. 2. Tac. p. 225. Lentul. c. 6. p. 187. seq. Accedebat, quod Augustus ei reliquerat consilium coercendi intra terminos imperii: cujus causas exponunt Forstn. ad An. 1. p. 51. ac ad A. 4. p. 368. seqq. Clapmar. 3, 16. Mut. consid. 60. Lentul. c. 14. p. 285, Bœcler. ad 1. A. 11. annot. 10. quosque hic laudat, Gruterus disc. 7. ad Tac. & Amirat. 1, 6.

§. LXIX. Erant nunc addenda, quæ de reliquis Tiberii artibus sive ad procurandam securitatem, sive cavendum odium & contemptum, seu denique ad licentiam principatus obtinendam usurpatis, deque ejusdem solœcismis seu ἀμαρτήμασι politicis, fortunaque & exitu, pæne adfecta habemus. Sed quoniam non solum tempore excludimur, sed etiam meditatio hæc nostra jam nunc modum justæ dissertationis Academicæ excessit: finio, hanc lampada aliis tradens. Erit enim fortassis inter commilitones, qui hoc exercitii genere universam Tiberii politicam edisserat. Interim, Benevole Lector, hoc Catone contentus esto, & si quando à scopo aberravi, cogita Historias legere ac meditari, omnium; penitus introspicere, paucorum, nec nisi felicium esse.

§. 6. lin. 6. leg. *affinitatum*. §. 7, ult. adde: *Similis descriptio est apud Livium 9, 34. §. seq. lin. ult. jung. Aliam causam adfert Vernulaus ad Tac. Ann. 1. observ. 6. §. 10, 5. post alterum insere: (immo, s. l. Vosio in chronolog. sacra, quartum,)* §. 12. in marg. l. Dio 57. p. 609. §. 13, 4. Augustus. l. 6. à fine, altero. l. ult. adde: *Aliam causam adlegat Boccalin. 2, 33. de qua quisque statuet, ut volet.* §. 14, 5. l. *ceteraque vitia*. l. 14. non. §. 15, 8. *indiciis*. §. 17, 8. *negotio*. §. 21, 29. post add. insere: *cap. 57, 1. lin. 63. pro cap. 25, 2. leg. 6. A. 25, 2. lin. 75. Est. histor. l. 76. leg. Tacit. 1. A. 13. 4. & post c. 14, 2. insere: c. 62, 3. §. 29, 18. l. grassantur. §. 33, 22. post succenseret, adde: vid. Forstn. ad 2. An. Tac. p. 204. lin. 7. à fine, post Piecarti, insere: Add. Vernulæ. ad 1. An. Tac. observ. 75. §. 35, 31. l. *Sardianis*. §. 37. lin. 9. à fin. *constantia*. lin. ult. adde: *Quales egregie describit Forstn. ad 12. A. 3. p. 85. & seqq. §. 39, antepenult. l. constituta. §. 52. l. 9. à fin. post perire, adde: De quo est egregius locus ap. Tac. 6. A. 6. §. 53. 9. l.angebatur. §. 56, 34. post subactum, insere: Add. Sueton. c. 41. l. 13. à fin. l. *strenis*. §. 62, ult. l. in Legato 2, 39. Hæc sunt, quæ fugiente oculo observare licuit Cetera benevolus lector, si qua sunt, suo pte Marte corriget.**

S. D. G.

~~117~~
117 1567

ULB Halle

3


002 100 991



117

m: 117





H. Q. 2.



(cat. 134^b)

Handwritten scribbles

